



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

Aliquot Propositiones Novissimorum Casuistarum in materia Pœnitentiæ

Zeghers, C.

Coloniæ Agrippinæ, 1679

urn:nbn:de:hbz:466:1-42483




99


h. 2399.

G. I

32.



II
ob



nyl 8 21

AL I Q U O T
P R O P O S I T I O N E S

*Novissimorum Casuistarum in ma-
teria Pœnitentiæ; collatæ cum
Doctrina S. Scripturæ, Conci-
liorum, Pontificum, SS. Patrum,
& maxime S. Caroli Borromæi*



COLONIAE AGRIPPINÆ
Apud JUDOCUM CALCOVIUM
Anno M. DC. LXXIX.

ES

D
famosa
res
proxim
fertim
solet
hereti
ut de i
rentur
stratus
Theolo
etiam
dam ex
dia ex
tanden
Doctor
tacta c
Majest
Propos
tionem
audim
nibus
nulla j
inquar
Sed ec
habita
studios

P R Æ F A T I O.

Decem præterpropter anni sunt, ex quibus in gymnasio sanctissimæ Trinitatis Lovanii famose in Religiosos, iisque adherentes seculares, quoad receptam in Ecclesia pœnitentiæ praxim, habitæ sunt Scenæ, & Interludia, præsertim in solemnî actione, quæ in encœniis haberi solet, præsentibus omnis generis externis, etiam hæreticis, militibus & aliis. Optabant comici ut de istorum Religiosorum laxitatibus informarentur omnes, execrationique eos haberent Magistratus, Confessarii, Pastores, Concionatores, Theologi, & Jurisperiti, aut studiosi in ipsis etiam juridicis scholis, personam agente quodam ex junioribus doctoribus: penè similes Tragediæ exhibitæ sunt annis pluribus. Sperabatur tandem istorum finis, postquam auditum est Doctores Romam deputatos parare se itineri, non tantâ causâ, propter quam se Romam petere suæ Majestati representaverant: hoc est ut illarum Propositionum quæ verè Belgium turbabant, decisionem postularent. De quibus tamen nihil actum audimus; nihil definitum, nisi de 65. propositionibus! de quibus vix in Belgio auditum, saltem nulla fuerunt contestationes vel turbæ sperabatur, inquam, quod tandem quiescerent ab improperiis. Sed ecce ipsa die 4. currentis mensis Septembris, habita est iterum actio præsentem maximo numero studiosorum, cujuscumque classis & scientiæ, Civium,

um,

P R Æ F A T I O.

um, extraneorum, militum, virorum etiam qualifi-
 catorum, presente tunc Domino Gumman
 Huygens, Accademia pro tempore Rectore. In
 qua post varia à comicis acta & dicta, perventum
 est ad scenam 5. actus 5. & procedendo conformi-
 ter ad argumentum dictæ scenæ quod sic habet:
 qui nimio isto Ambrosii rigore offensi be-
 nigni benigniorem virum adeunt: petitur
 primò, num Imperatori, deinde num & sibi
 Ambrosius Absolutionem & Communio-
 nem sic negare possit? qui respondet in-
 vitis non posse: nam jus habet ad absolutio-
 nem pœnitens. Est, ait, communis Docto-
 rum Doctrina.

Introductus est in theatrum quidam repræsen-
 tans Doctorem laxum, deinde Aulici Theodosii
 quasi offensi nimio Ambrosii rigore. Aulicis que-
 rentibus an Theodosius merito debuerit tam rudem
 facere pœnitentiam. Respondit Doctor laxus non.

Deinde Doctor hic explicuit aulicis varias
 praxes agendi cum pœnitentibus, inter cetera
 dicebat ironicè si pœnitens renuit subire
 pœnitentiã cogi non potest, ac statim Commu-
 nionis jus habet: nihil praxi ista esse
 tutius. Habere se omnes recentiores Theo-
 logos, qui tradant ita fieri debere. Rogatus
 ab Aulicis qui essent illi? tam infamiter illos de-
 pinxit, ut graviora non protulerint priori sacra-
 Calvinus & Lutherus in Catholicos Religiosos

PRÆFATIO.

Vsus enim nominibus græcis, vocavit eos sui ipsius, non boni amantes, novos, superbos, impios, immisericordes, fastuosos, incontinentes, &c.

Rogatus quoque idem Doctor de Canonibus pœnitentialibus, respondit esse abrogatos: subivisse in locum Canonum novam istorum virorum turbam, mira valente benignitate, ab his citius scelera remitti, quam patrari: ipsos viam ad cælum invenisse quæ hactenus latuit Christianos. Quibus addidit alius, gaudeo me tam benignum invenisse confessarium: dolendum Aulam hunc citius non invenisse.

Statucram tacere penitus, & expectare decisionem illorum articulorum, quos audio adversus istos Doctores exhibitos sanctæ Sedi hac æstate, & diu ante ipsorum discessum, ne postmodum dicerent se impetitos esse absentes. Sed dum istius actus novissimi tragediam intellexi, judicavi (dum illi, qui causam agunt, se continent, & sanctæ Sedis decisionem humiliter expectant) peccaturum me graviter, si istius Gymnasii (in quo ut audio etiam Arnaldi doctrina juvenibus legenda proponitur) & fautorum ejus desiderio non satisfacerem: & supra nominatos informarem.

Collegi itaque celerrimè ex trium virorum libellis & scriptis, nempè Patris à Burgundia in praxi
solida,

P R Æ F A T I O.

*solida, Francisci Caroli Reymakers in Respon-
sione Brevis aduersus Dominum Gumma-
rū, Dictatis publicis D. Nicolai Du bois partim
in Hallis, partim in Collegio regio traditis,
& mihi ab uno ex ejus studiosis communicatis;
propositiones diversas. Pauca de meo addidi.
An ex his, quas exhibeo aliqua representata sint
sua Sanctitati, & quæ, me latet hæctenus. Mirari
tamen si qui causam istam presentibus deputatis
Lovaniensibus agere ceperunt, nihil horum, quæ
verissimè totum Belgium turbant, & concernunt
omnes cujuscumque status & conditionis, at-
tigissent. Interim illi, quos dictum gymnasium
& Patroni desiderant informari, hæc si libuerit,
expendere poterunt.*

Imprimi poterit Fr. N. S. Th. P.
Lib. Cen.

ALL

ALIQUOT PROPOSITIONES

Novissimorum Casuistarum in materia Pœnitentia; collata cum Doctrina S. Scriptura, Conciliorum, Pontificum, SS. Patrum, & maximè S. Caroli Borromæi.

CAPUT I.

De Confessione annuâ factâ Religiosis Mendicantibus.

I.

Precepto Confessionis non satisfit per eam, qua fit Religiosis Mendicantibus. Petrus Marcellus Lovanii Pastor, Matthias Rosner Pastor Mechliniæ in suis respectivè Thesibus in Ordine ad gradum, aliique plures.

2. Contra, expressè & sæpius damnata est hæc per Sacros Canones, scilicet per extravagantem *Vas electionis de Hæreticis in communibus*, deinde per Eugenium quartum, Nicolaum quintum, & Sixtum quartum *Constitutione sextâ*. Per Pium quintum in Bullâ *Etsi Mendicantium*, per Clementem 8. 1592. & alios, quorum Decreta refert D. Du bois in *Tractatu ad 45. Propositiones*

A per

per Alexandrum VII. damnatas n. 384. & multis sequentibus.

3. Quid ad hæc istius Sententiæ Authores, vel Patroni responderint, & respondeant, accipe.

PROP: Obligatio confitendi Parocho, vel alteri de ejus licentiâ statuta est per generale Concilium Lateranense, cui non potuerunt Pontifices derogare, ita in Libello, cui titulus Fasciculus.

4. Multum his debet Lovaniensis Universitas, & Facultas artium. Inde enim sequitur non potuisse ipsis concedi privilegia *Nominationum ad Beneficia vacatura*: quia gratiæ expectatiuæ ad Beneficia prohibita sunt per Lateranense Concilium C. 2. & sequentibus x. de concessione prebend. & prohibitio renovata per Tridentinum Concilium Sess. 24. de Reformat. C. 19. Ubi etiam in terminis exprimuntur gratiæ expectatiuæ *Universitatibus concessa*, à nullo autem generali Concilio Lovaniensium nominationes *Universitati vel Facultati Artium* concessæ sunt vel confirmatæ ergo, & consequenter ex sententiâ istorum *Collatorum* dimittere debent beneficia sua quot nominationis vigore adepti sunt invitati, quia sunt intrusi, aut certè istorum novissimorum ejurent *Doctrinam*, & uti veros *Universitatis* hostes insequantur. Ejurent quoque *Doctrinam* suam, & opinionem mutant, quotquot *temerariam* istam Sententiam amplexi sunt, aut aliàs Beneficiis cedant, & fructus omnes Ecclesiis in quibus illa fita sunt, vel illis, aut hæreticis eorum, qui ad illa per *Collatores fuerant* promoti

promoti, restituant tamquam injustè perceptos. PROP:
III.

5. Alium præterea errorem manifestè continet prior propositio: hunc nempe: *quod à nullo Concilio Generali concessum aut confirmatum sit privilegium, quo dicto præcepto satisfiat per Confessionem factam Religiosis Mendicantibus.* siquidem expressè confirmatum est per Concilium Generale Lateranense sub Leone X. anno 1615. sess. 11. in Constitutione quæ incipit: *Dum intra mentis arcana.*

6. Quibus non obstantibus, non ex charitate, sed ex igne fatuo & obdurato in Religiosos zelo malo præsumunt constringere fidelium conscientias, & adimere Confessionis libertatem, quam ipsimet tam libenter amplectuntur. Quippe qui nec proprio Pastori, nec Pastores Archipresbytero suo, nec Archipresbyteri Episcopo confessionem annuam faciunt: nec auditur quod alteri confitendi licentiam postulent.

7. Quarta ipsorum propositio hæc est in Concilio Lateranensi decernitur quod Confessio annua fieri debeat proprio Parocho, vel alteri de ejus licentiâ, atque proprius Parochus ovium dicitur respectu illarum, quæ sunt sub ejus districtu, seu intra Parochia fines ergo. PROP:
IV.

8. Error hic in Canonis interpretatione committitur, non dicitur proprio Parocho quo nomine solum significatur Sacerdos ille, qui locum illum incolit, in quo sunt oves ipsi commissæ (venit enim à voce græcâ quæ *incolam* significat, ut tradunt Canonistæ super Titulo Decretalium de Parochiis; per legem Pupillus de Verborum significationibus) sed in Canone habetur proprio Sacerdoti: quisquis vero Sacerdos habet in oves jurisdictionem

19087
111

nem & authoritatem pascendi illas spirituali Sa-
 cramentorum cibo, est illarum proprius. Atque
 ita Canonem istum explicant communi confes-
 su Doctores; & aliter explicando sequeretur
 quod non posset Mechliniensis Archiepiscopus
 excipere confessionem Subditorum Ecclesie Di-
 vi Michaelis, nec administrare illis Paschalem
 Communionem vel licentiam dare alicui alteri
 Sacerdoti, ut Confessionem annuam talis sub-
 diti excipiat: atque ita suorum Episcoporum
 Authoritatem per Religiosum latus Doctissimum
 illi Casuistae impetunt.

19087
111

9. Si autem potestas illa Episcopo vel Archie-
 piscopo competit, etiam competit maximè Sum-
 mo Pontifici: cui in Persona Petri dictum est
Pasce oves meas, pasce agnos meos. Et in Concilio
 Florentino expressè definitum est in hunc mo-
 dum. *Definimus Sanctam Apostolicam Sedem & Ro-*
manum Pontificem in Vniversum orbem tenere primo-
tum, & ipsum Pontificem Romanum Successorem &
Beati Petri Principis Apostolorum, & Verum Christi
Vicarium, totiusque Ecclesie caput, & omnium Chris-
tianorum Patrem ac Doctorem existere, & ipsi
Beato Petro pascendi, regendi & gubernandi Vni-
versalem Ecclesiam à Domino nostro JESU-CHRISTO
nam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam
in gestis acumenicorum Conciliorum, & in Sacra-
Canonibus continetur.

10. Hæc definitio non à solâ Latinâ Ecclesiâ
 sed etiam ab ipsis Græcis, qui magno numero cum
 Imperatore suo Joanne Palæologo conven-
 rant, emanavit.

11. Istam modò impugnat Petrus Marcellus
 aliqui

aliqui
 lunt
 facta
 habet
 se pro
 adeo
 à tan
 rius n
 nem
 12
 cognos
 hæc c
 tellig
 omne
 nuam
 teri t
 certè
 ri, d
 rocho
 13
 quali
 tum p
 plice
 Paro
 catha
 firma
 trimo
 tores
 denur
 conc
 14
 & p
 Conf

5
alique ejus opinionis Sectatores, dum enim no-
lunt Præcepto satisfieri per confessionem annuam
factam Religiosis à Romano Pontifice licentiam
habentibus, consequenter dicunt illum non ef-
se proprium Pastorem subditorum suæ Parochiæ,
adeoque non omnium Fidelium, quod, quia
à tam Solemni Concilio damnatum est, ulte-
rius non impugno. Juvat tamen excutere ratio-
nem, quâ nituntur.

12. *Pastor inquit debet cognoscere oves suas, non PROP: cognoscat si confiteantur altari.* Ergo, propositio V.
hæc eo modo intellecta quo intelligunt, & in-
telligi debet, ut procedat argumentum, fideles
omnes obligat non tantum ut Confessionem an-
nuam Parocho faciant, sed insuper ut nulli al-
teri toto anno confiteantur, quam ipsis: aut
certè si de ejus licentiâ confiteantur alte-
ri, debet hic pænitentium statum referre Pa-
rocho, & integras revelare confessiones.

13. Intelligat itaque Petrus Marcellis, aliique,
qualiter procedat istud *debet Pastor cognoscere vul-
tum pecoris*, & quomodo Sanctus Carolus ex-
plicet Concilio quarto, titulo monitiones. Sic
Parochos ibi alloquitur: *animarum numerum in
cathalogum redigite: eorum qui Baptizantur & con-
firmantur, item compatrum nomina describite: Ma-
trimonia in codicem referte: cognoscite publicos pecca-
tores, corruptores aliorum, concubenarios, adulteros &
denuntiate.* Et cætera plura, quæ externa penitus
concernunt.

14. Quantum attinet ad Conscientiæ interiora,
& Paschale debitum, decernit S. Carolus, ut
*Confessarius quicumque, etiam Regularis, audiat Con-
fessionis*

professionis testimonium sibi peccata confessis dare non omittant, ut Parochis in Paschate constet illos praestitisse quod debent. Concil. Prov: 4. Titulo qua pertinent ad Sacramentum Penitentiae. Ecce quid sit juxta S. Carolum vultum pecoris cognoscere.

15. Hoc ipsum insigni facto suo testatus est Petrus Marcelis, cum enim cuidam Joanni Cornelis parochiano suo tam ipse, quam ejus Vice-Pastor per plures menses absolutionem negasset: nec vellet ut Religiosis parochiani sui confiterentur (ipso vero similiter ad Officiale deferente) citatus est ad certam diem dictus Joannes, ut videret a Promotore capi contra se confessionem, ob omissam Paschalem communionem. Compareret coram Notario Ioannes: factum sub juramento exponit, addidit nihilominus se venturum cum testibus, & uxore: promittit se plurimum dicturum parum Petro Marcelis honorifica. Exhiberetur in jure depositio: quid ad ista Pastor? Joannem vocat, eidem permittit ut confiteatur Religioso cui vult, porrigit sacram communionem, absque ulla alia attestatione, quam quod diceret se esse confessum. Vidi ego Mechliniae totius hujus rei duas notoriales actas, quarum mecum tunc copias.

16. Invenerunt autem & aliud tollendae libertatis confessionis principium, quod subjungo.

PROP: VI. 17. Dicit Christus Matth: 18. Quae alligaveritis super terram erunt ligata & in caelis, item quae retinueritis, retenta sunt: Ioan: 20. Ergo subditum cujus peccata retinuerit Parochus, quem ligaverit, non potest alius absolvere.

PROP: VII. 18. Probatum quia severè prohibent canones ne praebiter alterius

alterius penitentem absolvat vel communioni restituat, sed ab eo reconcilietur, à quo in penitentia positus, & communionem privatus fuerat. Typographus Gandensis (Hic est ut fertur Petrus van Buscum & Gillemans) in prefatione ad canones penitentiales per S. Carolum Borromaeum collectas.

19. Canones autem illi sunt canon 53. Concilii Eliberitani, ubi periculum status subire dicitur Episcopus qui talem admiserit, item ex Synodo Romana sub Felice 3. cap. 6. & canon 16. Concilii Arelatensis 1. Typographus ibidem. PROP: VIII.

20. Egregii canonum Interpretes. Romana Synodus agit de impio Acatio a Sede Episcopali ejecto & propter crimina anathematizato. Alii duo canones de publicis sceleribus, & censuram Ecclesiasticam propter haec infligunt. Lege antecedentes canones istorum Conciliorum, in canonibus autem cautum est hoc modo, ad reprimendam malitiam perverforum poena certa in canonibus sunt constituta: quas sicut latas a vobis interdum in subditos, vultis inviolabiliter observari, ita latas ab iis debetis inviolabiliter observare. Cap. 8. x. de officio ordinarii, & ut observent alii Episcopi, jubetur is, qui sententiam tulit, admonere in scriptis vicinos Episcopos cap. 1. x. de Treuga & pace. Publicabis ergo omnibus confessariis quod tali vel tali negaveris absolutionem aut communionem, ne si ipsum recipiant patiantur status sui periculum? voluntate istius sententiae ut Pastores ad omnes nomina mittant eorum, quibus negaverint absolutionem?

21. Praeterea sexta propositio impingit in auctoritatem Episcopalem; absolutionem enim sibi refer-

reservare, ad jurisdictionem Episcopalem & Pontificiam pertinet. *Concilium Tridentinum sess. 14 de penit. cap. 7.* Hoc tradunt omnes Theologi qui enim reservat sibi, cæteris adimit jurisdictionem: Episcopalem ergo, & Pontificiam auctoritatem tribuunt sibi novissimi illi casuista.

PROP.
IX.

22. Propositiones alias subministrat nobis famosa thesis in miserum *Petrum Heroel*: qui cum aliquot sit uferos lucraretur, se obtulisset ad agendum personam diaboli in supplicatione Divi Michaelis, vocatus est à pueris *Petrus Diabolus*, eoque sæpe lacesitus nomine, etiam post mortem à Petro Marcelis, & privatus christianâ sepulturâ. Quare? qui non communicabit in Paschate &c. juxta canonem *omnis utriusque sexus arceatur à christiana sepultura.*

23. Contra, præsentaverat se, sed repulsus. Et necdum totum paschale tempus præterierat, obiit enim die veneris ante Dominicam in albis, & dum obligationi tempus adjicitur demum eo lapso pœna incurritur: ita Canonistæ ad cap. 40. x. de *appellationibus*. Præterea canon utitur verbo *arceatur*, quod juxta canonistas non importat pœnam latæ sententiæ sed ferendæ, ideoque prærequiritur monitio. Hoc expressit S. Carolus Concil: 2. titulo 1. decreto 13. qui Pascha tempore *Eucharistia Sacramentum non sumpserint, si postquam ter aut unicâ monitione, quæ una pro tribus satisfactis sit, etiam generatim moniti, in contumacia perseveraverint, jubeat Episcopus eos ipsos Ecclesiâ ingressû, & Ecclesiasticâ sepulturâ interdictos denuntiari.*

PROP.
X.

24. At inquit Petrus Marcelis, si communicasset communicatio fuisset sacrilega. 25. C.

25. Cur ita? an quia tantus fuit peccator, quantum tu persuadere niteris? abstraho a veritate facti, etsi longè aliter ferant Lovanien- sium litteræ diversæ, &, ut audio, plurimo- rum juratæ depositiones. Sed ecce quod dicit Sanctus Leo Epistola 91. *Misericordie Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora desinire, apud quem nullas patitur venia moras vera Conversio.* Con- versionem ex ipsa Confessione colligit Augusti- nus *trastatu 49. in Ioannem*, agens de gravissimo & consuetudinario peccatore: *quando confite- ris, inquit, procedis; quid est enim procedere, nisi ab occultis velut eundo manifestari: sed ut confitearis, Deus facit magnâ voce clamando, id est magna gratia vocando, ideo cum processisset mortuus adhuc ligatus, confitens, & adhuc reus, ut solverentur peccata ejus, ministris hoc dixit Dominus: solvite illum.* Ista tibi exhibuit dudum Reymakers. Alios Patres dabo infra.

CAPUT II.

De Ordine inter Pœnitentiam & Absolutionem

26. **Q**uamvis peccatores statim à peccato commisso, PROP. XI. vel saltem cum consententur essent verè contri- ti, & apud Deum justificati, nos qui de externis tantum judicamus, eos de lege ordinaria, quam per traditionem SS. Patrum accepimus, & experienciâ quotidianâ comprobata habemus, absolvere non pos- sumus, nisi post condignam pœnitentiam justo tem- pore peractam, & detegamus veritatem conversionis ipsorum

B

ipsorum

ipforum, & instar bonorum Medicorum praeceam
ipforum relapsum per plenam vulnerum curationem
P. Gabrielis pag. 136.

PROP:
XII.

27. Quantam vero Penitentiam praecedere
oporteat, & quam longi temporis, expressit D.
Gommarus variis locis: v. g. pag. 54. Meth. ubi
scribit: *Consule, si lubet, canones Penitentiales,*
quibus unica fornicatio septem annorum penitentia,
& decem annorum adulterium mulctabatur.

28. Nullum in tota Methodo Canonem alle-
gavit, nec ullum allegarunt hactenus adver-
arii, quo probarent absolutionem in foro inter-
no, de quo agimus, & pro peccatis occultis
fuisse dilatam quousque acta esset Penitentia
canonica; sed solum probant quod publicorum
sceleratorum reconciliatio, & ab excommuni-
catione plenaria absolutio, restitutioque in ple-
nam fidelium communionem dilata fuerit, quo-
usque implera esset satisfactio.

29. Pergit tamen ex sua suppositione D.
Gummarus & docet, *peccatores non converti su-*
ficienter ad Absolutionem, nisi mediante longa
penitentia, seu pag. 149.

PROP:
XIII.

30. *Quorsum Ecclesia, si tam subito passim Con-*
suetudinarios converti credidisset, institutum, quod
postmodum tam diuturnam totque annorum peniten-
tiam peccatoribus injunxit: & in praefatione Apo-
logetica paulo antè finem.

PROP:
XV.

31. *Si dixerint canonum penitentias, quae per 12.*
saecula observata sunt in occidente & usque modo ser-
vantur in Oriente, solummodo in satisfactionem in-
junctas fuisse, nullatenus ut ad conversionem, rit-
disponerentur, nullo negotio redarguuntur.

Citat ad hoc unum Canonem, qui de reconciliatione & plena in Communionem restitutione agit manifestè, ut patebit infra, pergit nihilominus & dicit ibidem,

32. *Si ad satisfactionem solum conduxissent, num- PROP: quid potius post absolutionem, quam ante illam fuissent ista penitentia peragenda.* XVI.

33. Subsumo ego: non ostendent Adversarii, quod aliter convertat peccatores Deus, aut agat aliter cum illis, quam actum fuerit duodecim primis sæculis; vel quod agat Deus aliter cum occidentalibus, quam cum orientalibus. Ergo adhuc hodie illæ Penitentia canonum, aut similes præmitti debent absolutioni & quidem tanti temporis. Et hoc volunt plerique ex novissimis casuistis infra citandis, exigunt enim ut penitentia condignæ imponantur juxta canones, ac esse juris divini, & naturalis, quod illæ præcedant absolutionem.

34. Doctrinam istam Methodi, & propositiones singulas, quas ex illa referam, tribuunt S. Carolo, & signanter tribuit Doctor Van Vianen in Thesi diei 13. Januarii anno 1676. defendente Josepho Navæo ludi-magistro in Gymnasio SS. Trinitatis, in qua conclusione tertia sic habetur:

35. *In solem sanè obloqui deprehenduntur qui ob- PROP: strepunt doctrina S. Caroli Borromæi, quam ut bre- XVII. vitatis causa hic propugnemus, Methodum remittendi peccata ex instructione Pastoralis deductam habemus illud expressum.*

36. Non obstrepimus doctrinae S. Caroli, eximie Domine, legatur *Responsio brevis* presertim

tim secundæ editionis & continuationes ad eandem
per *Franciscum Reymakers*, & *Praxis solida*. Solum
dicimus puncta aliquot non esse ad Belgii mores,
nec propterea sumus laxiores quam vos ipsi
quia nec puncta illa observatis. Doctrinam S.
Caroli magna ex parte supprimunt authores no-
vissimi, contra quos agimus. Defectum ergo
illum supplebimus inferius, & pravas interpre-
tationes, quibus obstrepimus, simul dabimus.
Accipite interim quædam alia.

37. Petri errores erant hi: peccata mortalia
quo ad culpam & penam alterius sæculi absque confes-
sione, sola cordis contritione, pravæ vero cogitatio-
nes sola cordis displicentia deleri. Et quod confessio se-
creta sit, necessario non exigi. Et non peracta peni-
tentiæ confitentibus absolvi non debere. Ita bulla Sixti.

38. Bullæ verba sunt hæc: nos, ad quem spe-
ctat erroris huiusmodi extirpare, habita eorumdem
in Transyberim, & sanctæ Prædicationis cardinalium re-
latione prædicta, ipsius Archiepiscopi solertiam & dili-
gentiam plurimum in Domino commendantes, & in
certa nostra scientia Archiepiscopi declarationem & de-
cretum huiusmodi, & prout illa concernunt, omnia
& singula in scripturis prædictis Archiepiscopi supra
permissis contenta auctoritate Apostolica, tenore præ-
sentium de eorumdem referentium & aliorum fratrum
nostrorum unamini Consilio & assensu laudamus
& confirmamus, approbamus, ac præsentis scripturæ
patrocínio communimus.

39. Et nihilominus pro potioris cautela suffraganeis
omnes & singulas propositiones prædictas falsas, &
sanctæ fidei Catholica contrarias, erroneas & scanda-
lulosas, & ab Evangelica veritate penitus alienas.

Sanctorum Patrum quoque decretis & aliis Apostolicis constitutionibus contrarias, ac manifestam haresim continere dicta auctoritate declaramus.

40. Quid hic respondebimus? quid finges? PROP. XVIII.
an forte quod ideo tantum propositio ista *confitentes non peracta pœnitentia absolvi non debere damnata sit, quia patitur aliquam exceptionem, nempe quia in casu extrema necessitatis, seu gravis periculi mortis potest quis absolvi pœnitentia non peracta?* ista Arnaldus *de frequenti communione, parte secunda cap. 15.*

41. Quis hactenus audit propositionem aliquam *Moralem & practicam simpliciter veram, ideo damnari simpliciter, Quia aliquo casu exceptionem patitur?* damna consequenter omnes penè regulas juris: quia paucas reperies, quæ exceptionem non patiantur. Proba Petrum D'osma sacrae Theologiae Doctorem adeo stolidum fuisse, ut complementum pœnitentiæ exigeret à confitente in extremo vitæ tempore, & dum illius peragendæ foret incapax.

42. Vidit Arnaldus responsionis suæ imbecillitatem, addidit igitur aliam, nempe.

43. *Propositio Petri D'osma damnata est, quia* PROP. XIX.
juncta erat aliis gravibus erroribus Sacramentum pœnitentiæ totaliter destruentibus.

44. Perpende verba Bullæ *omnes & singulas propositiones prædictas. Consule Doctores tractantes de clausulis bullarum & legum.* Plurimos tibi exhibet Barbosa *clausula 96.* qui unanimiter docent clausulam *omnes & singulas, omnia & singula* habere vim individuae expressionis singulorum.

45. Nec vero ex omnibus patrum textibus, quos

quos sepè mutilat, aut canonibus, quos citat toto isto opere, unus est, qui vel apparenter asserat dilatam esse absolutionem Sacramentalem (in foro interno de quo agimus) quousque peracta sit pœnitentia, sed solum probant pœnitentiam esse necessariam. Hoc admittunt omnes: quia dimisso per Sacramentum Confessionis peccato remanet debitum pœnæ & si injunctam à Sacerdote pro peccato mortali pœnam nolis implere, peccato mortali te regulariter subjicis: vel probant denique quod pœnitentia seu satisfactio præcederet reconciliationem publicam seu restitutionem in plenam fidelium communionem, quam ab absolutione Sacramentali in foro interno, de quo agimus, toto cœlo differre patebit infra.

46. Atque ita uno velut flatu dissipantur omnia, quæ ex Marci Antonii libro transcriptis Arnaldus.

PROP:
XX.

47. Pergit tamen Arnaldus & cap. 8. ait: *orbis ille ut fiat confessio, sequatur pœnitentia imposita, tertio pœnitentiæ imposita adimpletio, quarto denique impletâ absolutio, est juris divini.* Ita quoque Typographus Gandensis, in præfatione ad Canones pœnitentiales per sanctum Car. Borromeum collectos.

48. Quomodo ergo dicit David Psalmo 31. *dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei,* quomodo Propheta Natan Davidi ex corde dicens *peccavi Domino, respondit Dominus quoque transulit peccatum tuum, non morieris,* 2. Reg. cap 12. Qua de re Augustinus ad d. Ps. *Attendite Fratres corde pronuntiaverat, & tu dimisisti.*

49. Quo

49. Quomodo filio prodigo, qui totam substantiam cum meretricibus consumpserat multis annis (quo consuetudinarii peccatores significantur) ad patrem revertenti & dicenti *Pater peccavi in celum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus, dixit pater; cito proferte stolam primam & induite illum, Luca 15.* Quibus verbis gratiam sanctificantem & consequenter peccati remissionem significari patres unanimiter docent.

50. Quomodo Lucae 18. publicanus (quo nomine graves quoque peccatores intelliguntur) *percutiens pectus suum & dicens: Deus propitius esto mihi peccatori, statim fuit justificatus teste Christo, qui ait: dico vobis descendit hic justificatus in domum suam.*

51. Quomodo item Lucae 23. gravissimorum scelerum reo, seu latroni in cruce pendenti, dum culpam agnosceret & diceret, *nos quidem iuste, nam digni factis recipimus: hic vero nihil male gessit, & ad Jesum Domine memento mei dum veneris in regnum tuum, statim audivit à Christo: hodie mecum eris in paradiso.* Non distulit justificationem Christus quousque horis aliquot in cruce, quibus permansit, pro peccatis satisfacisset, sed statim justificatus est. Accipere testem Augustinum Sermone 1. in Psalmum 34. *neque enim injusto & non jam justificato diceret Christus, hodie mecum eris in Paradiso.*

52. Audi & alio loco Christum de debitore 10. millium talentorum (hoc est inquit Augustinus libro primo questionum Evangelistarum questione 25. qui in universa Decalogi praecepta deliquerat) orante ac dicente: *patientiam habe mecum*

¶

& omnia reddam tibi, ait: *miseratus Dominus illum dimisit eum, & debitum demisit ei. Matthæi 18. & Paulo post ibidem, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me. In quem locum ista Chrysolostomus: Sola deprecatione reconciliatus est.*

53. Pleni sunt ejusmodi divinæ clementiæ & velocis misericordiæ documentis sacri textus v. g. de illa muliere peccatrice, ex qua Christus septem demonia, hoc est, ut explicant patres septem peccata mortalia, ejecerat Lucæ Septimo prope finem, & cap. 8. versu 1. De muliere quoque in adulterio deprehensa, quæ agnoscens peccatum, & in Christum confidens, statim audivit: *nec ego te condemnabo. Ioannis 8. ex quibus verbis colligunt patres ipsam esse consecutam peccati veniam. Augustinus sermone 47. de verbis Domini, item de adulterio conjugis cap. 7. & 6. Beda in caput 8. Ioannis, Bernardus Sermone 3. in annuntiatione Domini, Sciebat enim inquit euthymius in dictum caput Ioannis quod toto corde poeniteret. Paralyticus ille, de quo Lucæ 5. gravitatem peccatorum agnoscens pene desperabat, ad fiduciam benignè animavit illum Christus, & dixit confide fili, confidit & statim audivit, dimittuntur tibi peccata tua. Alter dicebat, Domine si vis potes me mundare, & audivit statim à Christo, volo, mundare; plurima sunt per totum Evangelium similia, de quibus sanctus Leo Sermone 11. de passione Domini scribit: Christus non solum corporeis infirmitatibus medebatur, sed etiam vulnera debiliū curabat animarum.*

54. Quapropter in Romano Cathecismo patre 2. cap. 5. num. 47. legitur ex fidei Catholica

doctrina; omnibus credendum est, & constanter affirmandum est, si quis ita animo affectus sit ut peccata admissa doleat, simulque in posterum non peccare constituat, etsi ejusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit, ei tamen, cum peccata Sacerdoti ritè confessus fuerit, vi clavium scelera omnia remitti, ac condonari: ut merito à Sanctissimis Patribus nostris celebratum sit, Ecclesie clavibus aditum in Cælum aperiri, de quo nemini dubitare fas est, cum à Florentino Concilio decretum legamus, Pœnitentia effectum, esse absolutionem à peccatis.

55. Non est ergo quod objiciant nobis illud Christi apud Matthæum: *Intrate per angustam Portam, quam angusta est porta &c.* Quod sæpius repetit Gummarus pro stabiliendâ suâ dilatione Absolutionis: non enim angustiorem facimus, quam Christus: non dicimus quod dimisso peccato, & recepto in gratiam peccatore, non remaneat debitum pœnæ gravis subeundæ in hoc mundo vel in purgatorio, ac graviter impositum pagina 109. Methodi fingit Nos docere quod absolutionis beneficio peccatores eximantur à culpis, earumque pœnis. Exhibeat vel unum istius sententiæ Authorem, aut retractet calumniam.

56. Sequimur per omnia Romanum Catechismum dicto cap. 5. num. 77. & pluribus sequentibus, item Trident. Concilium sess. 14. de pœnitentia cap. 8. Nullus Sacramento pœnitentiæ eandem tribuit vim, quam habet Baptismus (quo sic peccata delentur ut simul omne debitum pœnæ absorbeatur. Exigimus ut peccatores faciant dignos pœnitentiæ fructus, si velint à debito pœnæ liberari.

C

Legat

Legat ex innumeris aliquot eorum, quos ediderunt Religiosi, piis libellis; exigimus deinceps ut observent mandata, quia scriptum: est *Sicut ad vitam ingredi serva mandata*. Hæc est angusta porta, uti bene ipsi objicit Carolus Franciscus Raymaeckers.

57. Ut verò satisfactio pro debitis pœnis fructuosa sit, *primum necesse est ut peccator sit justus*. Catechismus Romanus dicto cap. 5. num: 103. si vero sit justus, regulariter absolutione opus est. hoc apertè tradidit idem Catechismus dicto cap. 5. num. 46. his verbis: *Vt concedamus contritionem peccata deleri, quis ignorat illam adeo vehementer acrem, incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine aquari, conferrique possit, at quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenerent, fiebat etiam ut a paucissimis hac via peccatorum venia speranda esset; quare necesse fuit, ut Clementissimus Dominus faciliore ratione communi hominum salutem consulere, quod quidem admirabili concilio concepit, cum claves regni cœlestis Ecclesie tradidit: quod deinde num. sequenti, paulo ante descripto, explicat de Absolutione à peccatis.*

58. Ex hac doctrina & citatis Scripturæ testimoniis apparet quid sentiendum sit de hoc subtili pro dilatione Absolutionis Gummari argumento.

PROP: XXI. 59. *Quis Iudex non obstante presumptione manente solida quod non resarferit, aut manente saltem justitia ejus dubio, adeo sui oblitus, absoluturus est.* &c. pag. 195. & 96. Methodi.

60. Frustra ergo clamamus, *miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, & secundum*

nam multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Frustra inquam, si à rerum temporalium iudice procedat argumentum.

61. Sed aiunt ipsa naturalis ratio & aequitas *PROP: XXII.* postulat, ut satisfactio Absolutionem precedat, Arnaldus parte secunda cap. 8. Typographus Gandensis in dicta præfatione. Ita quoque antea Marcus Antonius de Dominis.

62. Ergone contra rationem, & naturalem aequitatem fecit, & docuit nos Deus in veteri testamento: fecit, & docuit Christus in nova? relege Scripturæ textus ante citatos. Sed quæ tandem est ipsa naturalis ratio?

63. Ipsa, inquit Arnaldus cap. 11. in fine *PROP: XXIII.* naturalis aequitas & communis experientia docet, si quid in civili etiam vita adversus homines peccatum fuerit, restitutionem in gratiam, nisi pensatis prius injuriis, fieri aut postulari non solitam.

64. Dignum Sorbonico Doctore (& Sancto ut dicunt, sed à Gallia exule) documentum, ex propria ut facile crediderim desumptum praxi ipsius, & discipulorum ejus; qui quamcumque injuriæ vel levem speciem, non facile remittent, sed non ita docuit Christus qui Lucæ 17. dixit, *si septies in die peccaverit in te Frater tuus, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens: paritet me: dimitte illi.*

65. Arnaldum secutus est sanctus ille (scilicet) Aletensis Episcopus in suo Rituali titulo du Sacrement du penitence: ubi scripsit, *La pratique ordinaire pendant plusieurs, à esté de differer l'Absolution jusque à ce que la penitence fust achevée parce qu'on ne doit attendre raisonnablement la*

reconciliation avec la personne offensée, qu'après luy avoir fait satisfaction. Reconciliationis autem nomine Sacramentalem absolutionem intelligit, ut evidentissime patet ex toto ejus contextu: viderat Arnaldus Lucæ textum supra relatum de filio prodigo, repugnare manifestissime doctrinae suæ, & præsertim illa verba, *proferte cito stolam*

PROP: primam. Igitur sic vertit.

XXIV.

66. *Apportez la premiere robe, & ad marginem la plus belle* ita gallica versio Novi Testamenti impressa Bruxellis & antea Montibus, uti præceditur.

67. Sustulit hic particulam *cito*, quam omnes Latini Patres agnoscunt, in Græco etiam textu geminatur articulus & dicitur *proferte illam stolam, illam primam*, quo properantis animi motus & promptitudo significatur. Sicque expressit Hieronymus in epist: 146. *celerius proferte* vulgatus autem textus, Gregor: lib: 12. *Monachium cap. 5.*, Ambrosius libro 7. in Lucam, Chrysostoli serm: 3. aliique habent *cito proferte*. Cur non timuit Arnaldus (quem ferunt dictæ verborum authorem) illud *Apocal: ultimo: si quis diminuerit de verbis libri prophetie hujus, auferet Deus partem ejus de libro vite, & de civitate sancta.*

68. Istam de differenda absolutione doctrinam tribuunt omnes Novissimi S. Carolo Borromæo. Hinc Bartholomæus Pasmans collegii pontificii (ut fertur) alumnus, libellum ex Arnaldo paucis additis extractum edidit sub hoc titulo: *Testimonia è quibusdam recentioribus collecta, quibus doctrina S. Caroli Borrom. à singularitatis notâ vindicatur, collectore Bartholomæo Pasmans*

mans S. T. L. tum sic pergit.

69. *Testimonium Eximii P. Christiani Lupi or-* PROP: |
dinis Eremitarum S. August. S. Theol. Doctoris & XXV.
prof: in scholiis suis & notis ad canones Concilii Nicani,
ex quo patet quomodo censeat diversos penitentium gra-
duſ, annis aliquot continuis olim præceſſiſſe Sacramenta-
lem abſolutionem.

70. Secundo loco sic ponit, *testimonium Eminen-* PROP:
tissimi D. Ioannis Bona S. R. E. Card. cenſet vir Emi- XXVI.
nentissimi quod Sacramentalis abſolutio olim impenſa
demum fuerit ſub finem quarti gradus, hoc eſt ſub
finem conſiſtentia, quã ſcilicet publica multorum an-
norum penitentia terminabantur,

71. S. Carolum adeamus, & videamus an ille abſolutionem differri velit, aliquot annos penitentia, vel totam penitentiam præcedere ſacramentalem abſolutionem: & conſequenter an ex iſtis testimoniis doctrina S. Caroli à ſingularitatis nota vindicetur: poſtmodum de iſtis penitentiis agemus.

C A P U T I I I.

Ex quibus colligenda ſit Doctrina S. Caroli, quando-
nam composuit inſtructiones pro confeſſariis, ſeu tra-
ctatum de Sacramento Confeſſionis: quanam illis
addidit, per qua mentem ſuam explicuit, quorum
tamen nihil exhibent adverſarii.

72. **C**Um ejus doctrinam nobis velint eſſe pro lege, in ea interpretanda interpretatio- nis regulas ſervent, inter quas ſunt hæ: non ex aliqua particula ſed ex toto contextu legis judican-
dum

dum. Secundò leges posteriores derogare prioribus, si contraria sint: si autem non, ex una alteram explicari. Tertiò legislatoris mentem colligi non tantum ex iis, quæ decrevit, sed etiam quæ ab aliis decreta probavit: nam ut loquitur Cælestinus in epistola ad Episcopos Gallia: sua facit legislator illa, quibus auctoritatem suam impertitur. Duæ priores regulæ habentur in lege 24. & sequentibus de legibus

74. Instructiones pro confessariis composuit S. Carolus circa annum 1565. nam in Concilio tertio titulo de iis quæ ad penitentia Sacramentum pertinent sic ait: confessariis præscripta, à nostris provincialibus Synodis in litteras includantur, quibus probationis testimonium dabitur. Concilium hoc habitum est anno 1573. Synodus provincialis prima habita est anno 1565. Secunda anno 1569: cum ergo instructiones illæ essent præscriptæ confessariis in Synodis tertiam præcedentibus, sequitur quod tempore primæ Synodi seu anno 1565. jam essent composita. Supervixit S. Carolus usque ad quartam Novembris anni 1584. & sic post primam Synodum Provincialelem integris annis novemdecim, quibus multa in Conciliis suis, item in appendicibus ad instructiones suas statuit circa Pænitentiæ materiam: quorum nihil legisse videntur novissimi, quia nihil eorum citant, etsi ad ejus mentem intelligendam summè necessaria: ex instructionibus autem solum quasdam a contextu avulsas sententias.

74. Præterea S. Carolus perpetuò commendat (ac præsertim dum de Sacramentorum administratione agit) Romani Catechismi usum, nempe

nampe in Concilio Provinciali primo, secundo, tertio, quarto, quinto, sexto quod habuit anno 1579. commendant provincialia Concilia totius Galliae: prout latius refertur in præfatione ad dictum Catechismum editionis Lovanienfis anni 1662. Ex hoc ergo etiam colligenda erat mens S. Caroli quo ad absolutionis dilationem: item post sex Provincialia Concilia, Synodos Dioecesanas undecim, fecit secundas instructiones *de poenitentia* in quibus citat suam Synodum XI.

C A P U T I V.

Ostenditur ex S. Caroli Conciliis, imo ex ipsis instructionibus, novissimos male doctrinam suam affingere S. Carolo.

75. **Q**Uotquot novissimi scripserunt post Arnaldum parte secunda cap: 33. usque ad 41. doctrinae suae restauratorem faciunt S. Carolum. Citant autem omnes aliquot ex primis instructionibus ejus mutulas sententias, seu avulsas ab aliis earundem instructionum partibus, in quibus se explicat: ex cæteris autem ejus operibus, in quibus maximè seipsum elucidavit hac in parte, nihil penitus citant. Ita Arnaldus, Gummarus, Neesen, P. Gabrielis, Typographus Gandensis, Episcopus Aletensis in suo Rituali, cæterique. Videamus ergo an & qualem pænitentiam fieri postulet ipse ante absolutionem & Sacram communionem: non erit opus longâ deductione, sufficiet sola textuum productio.

76. In

76. In Concilio Provinciali tertio titulo de Scholis, ut scholares consequenter indulgentias, confessi sacram Eucharistiam sumant, ac processiones agant solemniter.

77. Titulo de iis, qua ad Matrimonii Sacramentum pertinent agens de parentum circa familiam cura, & de indulgentia Dominicæ in Quinquagesima: ut indulgentia concessa donum consequantur, diem Dominicum Quadragesima proxima præcedentem constituat, quo illi confessi omnes sumant sacram Eucharistiam sumant.

78. Titulo quadam quo ad Sodalitates, agens de indulgentiis certo die Sodalibus concessis, quique in oppido locovè in unum convenientes, primam contriti & confessi sacram Eucharistiam sumant; tunc solemnem processionem agant perpetuam gratamque memoriam prosequentes concessi sibi spiritualis doni gratiam.

79. In edicto convocatorio Concilii Provincialis quarti, die Dominico Provinciale Concilium proximè præcedente primum verè poenitentes & confessi sacram Eucharistiam sumant.

80. In eodem Concilio 4. titulo de Peregrinationibus: cum primum, ad peregrinationis locum pervenerit confessario probato consiteatur, & missam sacerdos celebrare, & sacram Communionem clericali sumere curet.

81. Ibidem ad sacra loca, qua Religiosè visitantur sunt, cum pervenerint nihil aliud sibi propositum habeant, quam ut aut jubileum, indulgentiam consequantur, aut vota sanctè persolvant. Itaque primò confessi, cum sacram Eucharistiam sumpserint, tunc religiosè statas Sanctorum Ecclesias visitent.

82. Irrideat ergo minimè salutaris Monitio

S. Carolum, & introducat D. Virginem ipsi
improperantem: nolite me credere aliam esse in
Monte acuto, aliam in Monte Serrato. Præscribat
Bartholomeus Pafinans confessis plures annos
pœnitentiæ, antequam à confessorio absolvantur
& Indulgentiam consequantur.

83. In eodem Concilio, titulo, de Episcopis: unus-
quisque de familia, singulis mensibus confessus sacram
Eucharistiam sumat. In Adventu, ut Sylverii pontificis
decretum est, & præterea in Quadragesima singulis die-
bus Dominicis Sacram Communionem singulariter ac-
cipere studeant, duobus ante diebus quam Sacra com-
munionis fiat, paterna cohortatione ab Episcopo de eâ re
familia præmoneatur.

84. Ecce duos dies sentit sufficere pro præ-
paratione ad Eucharistiam. An finges S. Carolum
credidisse quod nullus de familia omnium Episco-
porum totius Provinciæ Mediolanensis, (qui sunt
numero 15.) toto mense à Priori confessione
peccaverit mortaliter; ideo tantum præscribi, ut
communicent? audi ergo Sequentia.

85. In eodem Concilio 4. titulo de Concilio
Provinciali: curet Episcopus, ut die Dominico statam
Concilii diem proxime antecedente, verè pœnitentes &
confessi Sacram Communionem sumant. Hoc autem
dirigit ad omnium Dioecesium totius Provinciæ
subditos.

86. In eodem titulo Monitiones: qui Sacerdotes
estis, Missæ Sacrificium sæpius facite ac Religiosè ad illud
faciendum parate vos omni pietate, singulis saltem
hebdomadis, atque adeo sæpius, omnino semper cum
peccati mortalis conscii estis, cui è confessoris Sacerdoti-
bus, ad cleri confessiones audiendas constitutis confitea-
mini.

mini. Et Concilio 1. titulo qua ad Sacram. Matr. curat. paterfam. Vt familia uniuersa frequenter confiteatur, & S. Eucharistiam sumat.

87. In eodem Concilio quinto, titulo 1. agens de iudæis conuersis, octavo quoque die confiteantur, & 15. quoque die rursus confessi Sacram Communionem sumant.

88. In eodem, titulo qua ad dies festos & Sacra Tempora pertinent, agens de diebus quadragesimalibus, jubet moneri populum, ut vita Sanctitati incumbat, ut singulis diebus Dominicis saltem confessi Sacram Eucharistiam sumat. si singulis diebus non potest: id quod olim in consuetudine usuque fuisse Nicolai primi pontificis rescripto liquido constat.

89. Concilio 6. titulo qua ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent, ait: qui negotium periculo suscepturus est, item quoties rem arduam & difficilem etiam in qua nullum mortis periculum extimescendum est, aggredietur, confessus sumat Sacro Sanctæ Eucharistiæ Sacramentum.

90. In eodem, titulo de disciplina Christianorum militum, quorum inquit, disciplina his temporibus prolapsa est, ut multis Dei offensionibus &c. auditum: frequenti Sacra & confessionis, & Communionis usu se ad bene vivendum Communiant. Capis quid dicat de recidivis, & nondum ad bene vivendum Communitis?

91. Nefemel in omnibus Divi Caroli operibus, inuenies quod absolutioni præmitti voluerit Pœnitentiam aliam, quam sincerum dolorem de peccatis, propositum emendationis vitæ & pergendi Pœnitentiam, excepto quod ab aliquibus requirunt in recidivis emendationis signa, &

in ipsis primis instructionibus iungit Absolutionem impositioni Pœnitentiæ, & dicit: *ubi prescripserit salutarem Pœnitentiam, absolvet*. Hoc saltem ex Instructionibus quas interpretandas susceperant, omitti ab ipsis non debebat.

92, Alia doctrinæ ipsius capita dabo infra, interim hæc sufficerent ad evertendam totam Novissimorum Casuistarum praxim & doctrinam, quam exhibent ulterius sequentes eorum propositiones.

C A P U T V.

De Sacra Communione ante actam Pœnitentiam

93. **S**acrilegium est, inquiunt, Communicare donec condignam delictis Pœnitentiam egerint, Pater Gabrielis pag: 139 post Arnaldum cap. 7. num. 33. hoc perpetuo inculcat Gommarus, qui Absolutiones & Communiones, non servata methodo sua, susceptas passim vocat sacrilegas. PROP: 27.

94. Ergone sacrilegia docuit S. Carolus? unde id probant? Gommarus nullum textum adducit, sed generalia quædam tantum supponit ex antiqua illa quam prætendit Canonum praxi.

95. Alii autem aiunt Cyprianus in libro de lapsis dicit: *vis infertur corpori & sanguini (nempe Christi) quod non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini sanguinem bibat, Sacerdotibus Sacrilegis irascitur*. P. Gab, pag. 139. Marcus Anton. n. 33. Arnal. p. 2. cap. 13. PROP: 28.

96. Ad

96. Addunt etiam epistolam 55. Cypriani ad Antoni. Et Cleri Romani ad Cyprianum. eadem & similia prorsus producit Marcus Antonius & Arnaldus *cap. 13.* Sed quam imperitè! agit Cyprianus de idololatriis, ideoque excommunicatis, qui volebant ad communionem Ecclesie & sacram communionem admitti ante factam confessionem, accipe verba libri de lapsis, *ante exomologesim factam criminis.* Exomologesim est confessio, Rom. Catechis. *cap. 5. num. 55.* Cur ista suppressisti venerande Pater? minis & terroribus agebant ut reciperentur. Accipe verba epistolæ 55. *Si qui sunt, qui putant se ad Ecclesiam non precibus sed minis regredi posse, aut existimant aditum sibi non lamentationibus, aut satisfactionibus, sed terroribus facere, pro certo habeant contra tales clausam stare Ecclesiam Domini.*

97. Præterea tales ad plenam cum fidelibus communionem non recipiebantur, nisi ad pœnitentiã, quam subterfugiebant. Videt ergo etiam Gummarus, quomodo pro sua abolitionis dilatione alleget ista Cypriani & Cleri loca in *Methodo sua pag. 75. in Apologia pag. 75.* Arnaldus autem ut liber ejus excresecit, sæpissimè repetit eadem in paucis capitulis nempe *parte 2. cap. 9. in fine 10. 11. 12. 13.*

CAPUT VI.

Quid sentiant de Indulgentiis.

98. **V**idimus supra *num. 78. 81.* qualiter Indulgentias commendat Sanctus Carolus. Accipe alia ejus loca: reperies illa Concilio

cilio 4. titulo de indulgentiis, & titulo qua ad sanctissimum Eucharistia Sacramentum pertinent. Concilio 3. eodem titulo & titulo de parochis. Concilio quinto titulo de Indulgentiis. Concilio 6. eodem titulo, & titulo qua ad processiones pertinent, inculcans perpetuo, ne tam salutare gratiae donum negligent.

99. Sed longè aliter novissimi Casuistæ, inter quos ita scripsit Pater Gabrielis pagina 192.

100. *Vrgent quandoque esse diem magna Indulgentia, per quam potuerunt consequi veniam omnium suorum peccatorum, & dicunt se ad hoc venire ad Confessionem: sed tales communiter satis indicant quod non velint agere pœnitentiam.*

101. Siccine pœnitentes tuos à participatione Thesauri Ecclesiæ excludis? numquid indicant se velle agere pœnitentiam, dum ut Indulgentias lucentur, parati sunt illa facere quæ in ordine ad participationem earundem præscribit Ecclesia? cumque juxta Canones, ut dicit Gummarus in *Methodo pag. 84. unum adulterium multetur pœnitentia 10. annorum, unica fornicatio annorum 7. non invidas si multiplicis fornicationis, aut plurium graviorum criminum reus, agnoscens impotentiam plenè satisfaciendi, ad finem misericordiæ confugiat.*

102. Gummarus quoque in *Methodo pag. 151. & sequentibus*, quidquid potest molitur, ut ab indulgentiarum gratia miseros peccatores avertat: congerit imposturas in confessarios qui ipsius Methodum non sequuntur, quasi quoslibet indiscriminatim & semi-confessos absolvant. De illis autem quàm dolent sibi à praxis suæ se-

sta

PROP.
29.

etatoribus absolutionem negari, & indulgentiarum dono privari, sic respondet.

PROP: 103. Inanis sanè quærela, non hic numerus, sed dispositio expendenda est, non quot persona, sed quales, quomodo disposita absolvantur.

104. Non inanis certè, quia sufficit dispositio, quam sanctus Carolus requirit & quæ tibi non sufficit. Non inanis foret quærela mendicis, qui prævidens multis se diebus in penuria (in purgatorii ignibus) futurum, a liberali domino eleemosinam offerente, conatur accipere; tu verè enim impedis, & ut alii impedian, toto conatu satagis.

105. Revertamur ad Patrem Gabrielis Lovaniensem Licentiatum & brevi Doctorem: sic enim pergit.

PROP: 106. Tales satis indicant, quod velint abuti indulgentiis, qua sunt tantum supplementum penitentia, non refugium peccatorum impoenitentium, nec enervatio Ecclesiastica disciplina.

107. Ergo juxta te sanctus Carolus fuit Ecclesiastica disciplinae enervator, qui sæpius Indulgentias concessit particulares, impetravit plenarias à summis Pontificibus, & subditis suis commendavit, temere etiam judicavit miseris peccatoribus, qui, dum ut lucrentur Indulgentias confitentur humiliter, opera præscripta obeunt, emendare in futurum vitam proponunt, a te vocantur impoenitentes. Quare tibi non times ne tibi obtingat illud, quod confitentibus objicis pagina 135. & objicit Arnaldus in parte 2. cap. 12. ac post Arnaldum cæteri, de se mens ipsa mentitur.

CAPUT VII.

De qualitate poenitentia

108. Sicut vero ab Indulgentiis lucrandis deterrere nititur peccatores Pater Gabrielis, ita etiam à sacra communione, & singularem nobis præscribit poenitentiaem modum: sic enim ait pag. 161.

109. *Qua magis accomodata peccato poenitentia PROP. esse potest, quam pro tempore separari ab Eucharistia 32: in vindictam peccati.*

110. Non ita profecto sanctus Salesius, qui in *instructione pro Confessariis*, de qualitate poenitentia sic scribit: *Hac sunt Concilia, quæ confessarius in genere præscribere & injungere debet: inter quæ hæc existimo præ aliis utiliora, ut videlicet sapissime confessionis & sacratissima Eucharistia Sacramenta usurpet.*

111. Sanctus Carolus in *instructionibus primis* seu tractatu de Sacramento Confessionis prope finem ait, *admoneat eos de frequenti confessione & communione & paulatim secundum Augustini Consilium in sanctam eam consuetudinem adducat, ut singulis diebus Dominicis communicent.*

112. Et Concilio provinciali sexto titulo *quæ ad cleri disciplinam attinent*, Sacerdotes gravis delicti rei, propter quod suspendi merentur, & suspensi sunt, vult, ut pendente poena canonica seu suspensione, idem faciant, & scribit, *Sacerdotes Missæ celebrandæ munere suspensi, frequenter, & ve-*

ro praesertim diebus Dominicis ac festis sacram Communionem sumant.

113. Antiquissimus notissimusque author Augustino ferè coëtaneus Gennadius de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 53. gravium criminum occulorum reis inter satisfactionis opera injungit, ut jugi imo perpetuo luctu contraria pro iis qua peccet, agat, & Eucharistiam omnibus Dominicis diebus supplex usque ad mortem percipiat.

PROP: 33. 114. Non hos, sed Marcum Antonium & Arnaldum sequi maluit Pater Gabrielis, ex cuius partis 2. cap. 23. ratiunculas suas transcripsit: fontem ergo ipsius, seu Arnaldum adeamus.

PROP: 34. 115. Illam paenitentiam, qua est abstentio ab Eucharistia, semper Ecclesia paenitentis conditioni accommodatissimam, Christo acceptissimam, peccatori saluberrimam judicavit. Quare audi eum consequenter.

PROP: 35. 116. Esse gravem paenam ex eo apparet, quod boni cujusque privatio pro eo quantum illud est bonum gravis aut levior videri solet: cum ergo Eucharistia summum in hac vita Christiana hominis bonum sit, si qua illi superest fidei scintilla, si quis divinarum rerum sensus nihil ei gravius accidere vel acerbius pretest, quam ut suo vitio ab illa re, qua votorum illius summa esse debet, prohibeatur.

PROP: 36. 117. Et antea, seu parte prima cap 19. in fine ab Eucharistia secessione summa peccatoris demissio atque depressio, adeoque summus Dei, qui à solis honoratur humilibus, honor ac reverentia continetur, summa deminique restituendi peccatoris spes, quoniam ipsa sponte Veritate, qui se humiliat exaltabitur.

118. Malè ergo Ecclesia fuit semper adeo sollicita, ut nullus decederet sine viatico, seu

Corporis Christi Domini perceptione (qua de
re antiquissimos canones 45. tibi exhibet Anto-
nius Augustinus Tarraionensis Archiepiscopus
in epitome juris canonici veteris lib. 24. titulo
xi.) quia secundum te , & discipulos tuos ,
gratior esset Deo , morientis humilitas. Do-
lendum quod tantos Doctores non habuerit
aut noverit antiquitas : quos tandem noscet
aula Belgica.

119. Cui tam elegantem rationem prebes ,
ad eludendum præceptum annuæ communio-
nis. Sic enim ad excusandas portus regalis filias ,
quæ cum insigni prevaricatione constitutionum
ordinis sui , debitis temporibus non communi-
cabant. Argumentaris in præfatione libri tui, nu-
mero. 6. & pro ipsis loquentem sic introducis.

120. *Tetigit me Deus spiritu sui motu , & per PROP
gratiam , cui non potui resistere , volui dijudicare 37.
me ipsum ne à Deo judicaret : volui exulare me ad
tempus à Sanctuario visibili , ne Deus me in perpetuum
exulem ageret ab invisibili.*

121. Atqui quod dicis , *cui non potui resistere*
damnavit Innocentius. X. adversus Jansenium.

122. Audet Arnaldus in sententiæ suæ con-
firmationem inducere Concilium Tridentinum
sess. 14. de poenit. cap. 8. quo solum decernitur ,
ut satisfactiones congruæ imponantur. De fa-
cra Communionem differenda nihil dicitur , sed
postea dum hac de re agunt Concilii patres, di-
cunt: *optaret Synodus , ut singulis missis adstantes non
solum spiritali affectu , sed Sacramentali etiam
Eucharistia perceptione communicarent , quo ad eos
hujus sacrificii fructus uberius perveniret.*

E

123. Au-

123. Audes inducere Paulum, quatenus in 1. ad Corinth. XI. p. 31. dicit: *Probet autem seipsum homo & sic de pane illo edat. Ubi per probationem ecclesiastica consuetudo (inquit Concil. Trid. sess. 13. de Eucharistia cap. 7.) declarat quod nullus quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Tu vero novus Ecclesie Doctorem declaras esse abstentionem à communione.

PROP.
38.

124. Audes inducere Augustinum & Pacianum, qui locis à te citatis agunt de publica poenitentia, & consequenter de publice sceleratum quem ecclesia à Communione fidelium relictum, non nisi certis temporibus ad sacram Eucharistiam admittebat; sed nec excusabat, nec excusabant Patres illi, si præscripto per canonicum tempore non communicassent.

125. Arcebantur autem aliis temporibus, non ideo quod privatio Eucharistia esset maxime incommodata peccatori poenitentia; sed eâ ratione quam exhibet Romanis Catechismus, D. cap. 5. n. 93. *ut ceteri timore perterriti peccata deinceps diligentius vitarent.* Hoc etiam docet Augustinus lib. 5. hom. 50. & Siricius papa in epist. ad Himerium, & alii exemplum tribuant, quatenus ab obscænis voluptatibus retrahantur.

PROP.
39.

126. Sed audi quomodo pergat Arnaldus part. 2. cap. 18. in fine qui non communicat in Poeschate, modo faciat & iudicio confessarii, & ex causa legitima, qua principalis, & quasi unica, est desiderium poenitendi, reprehendi non potest.

127. Igitur etiam hinc eludet præceptum communionis annuæ) & omnia illa quæ statuta sunt in S. Ca.

S. Carolus in Conciliis & Synodis adversus non communicantes in Paschate, poterit enim canonis prevaricator prætere semper desiderium poenitendi, debet regulariter approbare confessarius, quia istud desiderium est principalis, & quasi unica non communicandi causa, & non communicare est maxime accomodata poenitentia. Frustra mandabit Pastor aut Episcopus, quia dicit: *se ad non communicandum moveri ex humilitate, & instinctu Spiritus Sancti, cui non potest resistere*, seu ut habet in editione latina, dicto numero 6. *inestabilis gratia.*

128. Perge Arnalde ad Quakerianos: tibi melius istic conveniet, quam in Gallia. Interim nos relictis alti sensus hominibus sequemur simplicitatem S. Caroli qui *lib. 2. constitutionum Synodalium, tit. de S. Eucharistia sumptione* ait: *ne Pascha tempore Eucharistia sumptionem ulla de causa differat.*

129. Denique si gratus sit Deo non suscipere Corpus filii ejus, frustra Christus Ioannis 6. perceptionem tantopere commendavit. Erravit graviter primitiva ecclesia, in qua quotidie communicabant. Si putas illos ab omni peccato mortali fuisse semper liberos; reconvincet Paulus ad *Corinth. cap. 11.* ubi peccantibus præcipit *ut se probent, & sic de pane illo edant: probatio autem illa est peccati mortalis confessio, ut docet Trid. Concilium sess. 13. cap. 7. & ut fideles quotidie communicent, optat sess. 22. de Sacrif. Missa cap. 6. & olim qui aliquoties communicare committebant, excommunicabantur Conc. Antiochenum sub julio 1. cap. 2.*

130. Ambrosius quoque lib. 4. de Sacramen-
tis cap. 6. ait: *si quotiescumque effunditur sanguis
in remissionem peccatorum effunditur, debeo illud
semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur*
qui semper pecco & lib. 5. cap. 4. *iste panis quo-
tidianus sumitur in remedium quotidiana infirmitatis*
Non opto quod qui perfectioni non fructus
communicent quotidie: nulli quotidianæ com-
munionis legem indico: sequamur S. D. N.
novissimam hanc de re Bullam, & agnosce dam-
natam ibi tuam & tuorum discipulorum doctri-
nam.

131. Disce ex Catechismo Romano part. 3.
cap. 4. quomodo perceptioni Eucharistiæ non
repugnet humilitas: cum percipis & Discipuli
tui percipiunt, dic, & dicant ex animo, *Do-
mine non sum dignus, & qui nihil nisi sanctos Pa-
tres buccinas, lege Augustini Epistolam 118
Item sancti Ignatii Martyris, Apostolorum disci-
puli & tertii post Petrum Patriarchæ Antio-
cheni epistolam ad Ephesios. Basilii ad Cesar. pa-
Chrisostomi homiliam ad populum Antiochenum
Hieronymum epist. 28. Cyprianum de oratione Do-
minica. &c.*

CAPUT VIII.

De Confessione frequenti & venialium.

132. **N**on fert Charitas vel ignis fatuus no-
vissimorum casuistarum frequentem
confessionem venialium, & Sacramenti pro illius
usum, notæ sunt Gandensium & aliorum nostrorum
tempo

temporis querelæ. Audiamus Sanctum Carolum
deinde subiiciamus eorum doctrinam.

133. Plura hac de re allegata sunt ex Sancto
Carolo supra cap. 4. addo hic iterum aliqua
propter ipsorum alias propositiones.

134. Concilio Provinciali 1. titulo *quæ pertinent
ad Celebrationem Missæ*, quo puriores ad divinam rem
faciendam accedant, singulis hebdomadis peccata sua
confiteantur, nisi eos ob mortalis peccati culpam fre-
quentius facere oporteat.

135. Ibidem titulo, *de concionatoribus*, scilicet
Monialium proficiantur monialibus confessores, qui
semel saltem in singulos menses audiant peccata monia-
lium, eisque Sacram Eucharistiam administrent quem-
admodum Tridentinum Concilium fieri debere censuit.

136. Concilio 4. titulo, *impedimento irretiti:*
ab ordinando requirit, de frequenti confessione Testi-
monium afferat.

137. Titulo *monitiones: diaconi, subdiaconi, &
clerici inferiorum Ordinum*, quicumque estis, *quæ de
confitendis sæpè peccatis vobis iussa*, sunt præstate.

138. Audi quid velit etiam observari ab iis qui
non sunt in clericali ordine in Appendice, sic ha-
bet Parochus fideles sibi commissos quantum potest sæpè
hortetur, ut ad Pœnitentiæ Sacramentum non solum cum
tenentur ex precepto Ecclesiæ, sed quam frequentissime
accedant. Idque latius prosequitur idem.

139. In Appendice sequenti, cui titulus: *In-
structiones Prædicationis verbi Dei* sic habet: *Pœnitentiæ
frequentiam & sanctissimæ eucharistiæ fructuosissimam
esse & maximè commendandam rationibus multis &
sacra scriptura Testimoniis comprobabit concionator: eam
consuetudinem concionando, inducere studebit ut populus*

si minus Dominico quoque Die, saltem semel singulis mensibus consiteatur, & Sacramentum eucharistiam sumat. At in Quadragesima & Adventu ut singulis diebus Dominicis hoc faciat: quod antiqua fidelium pietas est.

140. Ecce nihilominus decem &, amplius propositiones his contrariæ quas docent.

PROP: 141. *Olim non suscipiebatur crebrò Pœnitentia Sacramentum, Racemator hebdomada* 1. pag. 10.

PROP: 142. *Nec ad illud facile admittebantur Adolescentuli propter ætatis fragilitatem, seu periculum relapsus.* Arnaldus part. 2. cap. 11. post Marcum Antonium. citat uterque Concilium Agatense cap. 15.

PROP: 143. *Tenemurque sequi praxim Ecclesia primitiva quia manet semper Ecclesia in eodem sensu, Arnaldus part. 2. cap. 13. & in præfatione numero 30. cui accedit Pater Gabriellis pag. 155. in fine.*

PROP: 144. *Quia Ecclesia, qua non potest dividi nisi ab hereticis, manet semper in eodem sensu, Arnaldus part. 2. cap. 12. & 21. post Marcum Antonium numero 57. & aliis pluribus, accedit Pater Gabriellis pag. 155. in fine.*

PROP: 145. *Sacra autem Scriptura & patres semper requisiverunt conversiones stabiles Arnaldus cap. 11. 12. 13. 14.*

PROP: 146. *Idque expressit Paulus in 2. ad Corinth. 7. v. 10. ubi dicit: la tristesse, qui est selon Dieu, produit pour le salut une Penitence stable, & selon le grec d'on on se repent point: sic Pauli textum vertit Arnaldus in translatione gallica novi Testamenti reimpressa Bruxellis. Eodem collimat Gommarus & brevis relabentem censet non fuisse conversum Methuadi pag. 67. 82. donec veterem consuetudinem ex-*

uerit,
dum,
alia.

147
que fi

Arnald
Viane

qui d si
clesia n

148
tollat,

latine
confessio

quod Ec
quod no

publicu
149

tam à
digno se

150
Docto

ubi sub
dicit:

Domin
singulis

151
fionis

genera
Gener.

Ecclesia
ac patr

confessio
152

uerit,

uerit, pag. 89. 98. 241. et passim per totam metho-
dum, atque hinc tot absolutionis dilationes. Ecce
alia.

147. Non fuit olim in usu confessio venialium seu **PROP:**
que fieret à justis, hoc est peccato mortali carentibus. 45.

Arnaldus part. 2. cap. 11. cui accedit Doctor van
Vianen in dicta Thesi, conclusionem prima ubi ait:
quid si addam confessionem venialium in primitiva Ec-
clesia non fuisse frequentatam.

148. Satagit Arnaldus ut confessionem illam **PROP:**
tollat, sic enim pergit in dicto cap. 11. (verba ejus 46.
latine reddo.) Tempore illo, quo solorum mortalium
confessio erat in usu, hoc commodi habebant peccatores
quod Ecclesia se jungebat illis pro peccatorum expiatione,
quod non potest facere hodie, quia non videt parere in
publicum verè Pœnitentes.

149. Postquam autem capit esse in usu Confessio **PROP:**
tam à justis quàm ab injustis facta, non potest Ecclesia 47.
dignoscere, qui verè sint in animo mortui.

150. Alias propositiones subministrat nobis **PROP:**
Doctor Alerensis seu Episcopus ille, in suo Rituali 48.
ubi sub titulo de dilatione aut recusatione Absolutionis,
dicit: qui sacram Eucharistiam sumunt, singulis diebus
Dominicis et festis, melius facerent, si ad summum
singulis 15. diebus confiterentur.

151. Brevi etiam nobis tollet usum confes- **PROP:**
sionis peccatorum mortalium & confessionum 49.
generalium: quippe qui sub titulo de confessionibus
Generalibus scribit: confessio semper fuit considerata in
Ecclesia, ut res minima, & facillima pars Pœnitentia,
ac patres parum de illa locuti sunt aut conquesti de malis
confessionibus, sed semper de malis Pœnitentiis.

152. Deinde infert, Confessiones Generales nisi **PROP:**
habeant 50.

*habeant Pœnitentiam proportionatã peccatis totius vitæ
qua repararet defectum omnium Pœnitentiarum falsarum
timendum est ne parum seruiant magisque satisfaciunt
hominibus quam Deo.*

153. Hoc Rituale licet damnatum à summo Pontifice, tamquam continens propositiones falsas, singulares, in praxi periculosas, erroneas, & consuetudini in Ecclesia Communitè receptæ, atque Ecclesiasticis constitutionibus oppositas & repugnantes, quarum & lectione Christi fideles in damnatos errores sensim adduci ac pravis opinionibus infici possent, ita Bullæ die 9. Aprilis 1668. tamen Lovanii canonis factum est uti & Arnaldi liber, qui per publicum programma (quod hodie Lovanio expecto, cuius proinde verba adscribere differo) legendi omnibus proponuntur.

154. Supradictæ omnes propositiones repugnant apertissimè doctrinæ Sancti Caroli præfati, qui hortans perpetuò frequentem confessionem, hortans sæpissime ad octidianam, etiamsi sola venialiter confitenda sint: nihilominus ex antiquitate, & patribus nec non canonibus, circa quos hallucinantur, delibabimus aliqua.

C A P U T I X.

Examen breve prædictarum Propositionum.

155. **I**N antiquissimis Benedictinorum regulis hæc leguntur: *Omnes negligentias nostras, vel cogitationum, vel linguæ, vel operis in præsentia vitæ per humilem confessionem, & humilitatem semper indicemus, ut non post mortem reos nos faciant. Item confessio quam crebra & sagaci cura danda*

multorum Patrum iuxta scripturarum seriem doctrinam demonstravit, Item quintus humilitatis gradus est, si omnes cogitationes malas cordi suo advenientes, vel mala à se absconsè commissa, per humilem confessionem Abbati non celaverit suo.

156. Morem istum antiquissimum fuisse refert Sozomenus hist: Eccli lib. 2. c. 13. Climacus gradu 4. Cassianus lib: 4. c. 9. & Sanctus Clemens primus lib. 3. recognitionum, Quoniam tacentibus non potest facile medela opportuna adhiberi, preferre debet unusquisque, in quo animus per ignorantiam languet. Origenes in Psalmum 36. si malorum tibi conscius aliquorum fueris, noli occultare, sed per exomölegesim id est confessionem revela ea Domino.

157. Beda in Caput 14. Ioannis, si confiteamur peccata nostra, ille qui lavit pedes Discipulorum suorum, fidelis est, & justus, qui dimittat peccata nostra, lavatio illa pedum remissionem peccatorum designat: nos eam, quæ semel in Baptismate datur, sed illam, quæ quotidiani Fidelium reatus, sine quibus in hac vitâ non vivitur, quotidianâ ejus gratiâ mundantur.

158. Per peccata quotidiana & sine quibus in hac vitâ non vivitur Sancti Patres intelligunt venialia: sic sæpe Augustinus in lib. de perfectione justitia, Casarius Homil. 8. & 13. Beda in Caput 5. Epistola Ioannis, & iterum Augustinus homil. 19. 27. 28. 40. libri homil: 50. Item Enchiridiû cap. 17. de Symbolo ad Cathecuminos l. 1. cap. 7. Habes hîc usum frequentem Sacramenti poenitentiae, Confessionem, Confessionis effectum, ac utilitatem: & consequenter convulsas omnes prædictas propositiones.

159. Addemus nihilominus alia : Cyprianus in lib. de lapsis, Confiteantur singuli quaso delictum suum, dum adhuc qui deliquit in saculo est Chrysostomus, quem refert Baronius ad annum Christi 56. Si quando contigerit ex vobis peccare aliquem, accedat ad me dormientem, ut peccatorum vinculis solvatur. Idem Baronius ex Sotomano ibidem n. 24. Presbyterum Secretorum terram, & Sapientem praefecerunt, cui accedentes, qui peccarant acta vita sua confitebantur: ille vero pro se jusque delicto quid aut facere singulos, aut luere optaret, interminatus absoluebat, ut à se ipsi poenitentiam exigerent.

160. Tertullianus in lib. de poenitentia circa poenitentiam, pigeat sane peccare rursus, sed rursus poenitentiam non pigeat, iterata valetudinis iteranda medicina est: gratius in Domino extiteris, si quod tibi Dominus confert, non recusaveris.

161. Gregorius Nazianzenus Orat. 39. Quam legem statuis O nove Phariseae? benignitatem Iesu non moveris, qui septuagesies septies peccata condonat? quomodo autem condonat, docet, Beatus Hieronymus ex Zosimeno ad annum Christi 56. quamvis frequenter deliquissent, veniam dari iussit, & ad impetrandam, confiteri peccata necesse est.

162. Inter articulos propter quos Chrysostomus iniquè degradatus est, à quibusdam Episcopis, sed Sedis Apostolicæ Authoritate restitutus, fuit hic, quod doceret, Si iterum peccasti, poeniteat iterum, & quoties peccasti, veni ad me, ego te sanabo.

163. In canone 32. de poenitentia distinctione 1. dicunt perfidi Dominum incitatore mali, si sermo quem poenitentiam

per pœnitentibus subveniret : & etiam ei placere peccata , quibus semper præsto est gratia ; errant enim : imo constat ei multum peccata displicere , qui semper præsto est ea destruere , & paulò post videmus quotidie in Ecclesia sæpe febricitantes , sæpe languidos , sæpe passionibus captos , sæpe liberari , ut appareat toties opus miserantis , quoties confessio fit pœnitentis .

164. Tum subjungit : Scimus autem & primos Patres , & omni tempore Ecclesiam Dei semper usque septuagesies septies (quod est semper) peccata remittere .

165. Antiquissimus Author quem multi sentiunt esse Clementem Divi Petri discipulum epist. 1. scribit : Si alicujus cor livor vel aliquod malum ex his , qua superius numeravimus latenter irrepsit , non erubescat qui anima sua curam gerit confiteri hæc , sicut qui præest , ut ab ipso per Verbum Dei , & consilium salubre , curetur .

166. Joannes Patriarcha Constantinopolitanus , dictus Jejunator & Nestenta in monacatione , de hominibus sæpe in peccatum carnis labentibus ait : sunt multi qui confitentur , sed tamen vel natura vel malignitate , vel malâ consuetudine rursus labuntur , & in peccata incidunt : hi ergo debent semper confiteri , quoties ceciderint .

167. Habe hic Lector frequentem Sacramenti Pœnitentiæ susceptionem in primitiva Ecclesia , præter usum confessionis venialium ; malè negatum ab Arnaldo , & fere à Doctore Vianen . Accipe nunc confessionis effectum , & quid de illa censuerint antiqui Patres , & Canonum auctores .

168. In Canone 88. de Pœnitentia distinctione 1. quem pœnitet omnino pœniteat & dolorem Lacrymis ostendat :

ostendat : representet vitam suam Deo per Sacerdotem ,
 praeveniat iudicium Dei per confessionem , in hoc enim
 quod per seipsum dicit Sacerdoti , & erubescitiam vincit ,
 timore offensi fit venia criminis . Fit per confessionem
 veniale , quod criminale erat in operatione : & si non
 statim purgatur , fit tamen veniale quod erat mortale .
 Multum enim satisfactionis obtulit , qui erubescitiam
 dominans , nihil eorum quae commisit , Dei nuntio de-
 negavit .

169. Dicat nunc Doctor Aletensis confessionem
 in Ecclesia fuisse semper consideratam ut rem minimam
 pergat & dicat confessiones Generales , si non con-
 jungatur illa Poenitentia , quam ipse requirit magis
 servire hominibus quam Deo . Dicat adhuc parum de
 confessione lacutos esse Patres , exhibeat vel unum
 qui de Poenitentia scripserit tractatulum ali-
 quem , qui non fecerit mentionem confessionis .

170. Exhibebit forte aliquos , qui non utantur
 ista voce confessio : sed voce *exomologesis* , vel *exage-
 zeusis* : verum & hae voces confessionem signifi-
 cant : si dubitat , legat greca Lexica , & Catechis-
 mum Romanum N. 55 . sed fidelis interpretis
 Augustini Arnaldus , vocem *exomologesis* lectam in
 Augustino Serm. 57. de tempore , maluit ad poeni-
 tentiam trahere , & vertit de la penitence . Sic ubi-
 que fucum facit .

171. Præterea scire debebant novissimi illi ,
 quod vox *Poenitentia* saepe ipsum Sacramentum
 significet . Sic tradunt Scholastici omnes post
 Sanctum Thomam , & Catechismus Romanus
 dicto cap. 5. n. 4. 31. & 15. si ergo legerint apud ali-
 quos Patres fieri mentionem *Poenitentia* , quo
 argumento probant non posse intelligi Sacra-
 mentum

mentum, & consequenter præviã ad illud confessionem.

172. Confessionem vocat Doctor Aletensis *facillimam Pœnitentiã partem*. Non ita præfatus Canon, in quo legere poterit: *laborat mens patiẽdo rubescentiã, & quoniam verecundiã magna est pena, qui erubescit pro Christo, sit dignus misericordiã,*

173. Et quia Generalis confessio est iterata confessio eorum, quæ antea Sacerdotibus revelata sunt, cum revelatione eorum quæ forte oblivioni tradita erant, aut ab ultima confessione commissa, ecce quid de iterata confessione eorundem peccatorum dicat idem Canon, *quanto gloribus confitebitur in spe veniã turpitudinem criminis, tanto facilius consequetur misericordiam remissionis. Ipsi enim Sacerdotes plus jam possunt proficere, plus contentibus parcere.*

174. Hic Canon desumptus est ex Hesychio: ut notatur in Decreto, fuit hic Patriarcha Hierosolymitanus, & floruit circa annum 600. Gregorio Magno coetaneus.

175. Quod dixit Hesychius, dixit & Ambrosius lib. 2. de Abel & Cain; *confessio est pœnarum compendium. Est quadam in peccatis verecundiã: & Pœnitentiã portio, crimen fateri, nec derivare culpam sed recognoscere. Vult se provocare ad Pœnitentiã Deus & vult de se sperari Indulgentiam, vult demonstrare tuã confessionẽ quod non sit author peccati. Confiteri igitur quoties peccas, nè unquam facias Deum peccati authorem.*

176. Sanctus Bernardinus, Serm. 57. *confessio liberat animam, quandoque enim peccator ante confessionem*

tionem non conteritur, sed in ipsa confessione datur gratia contritionis: & si habet, augetur.

177. Consentit & cum Hesychio Chrysolomus cap. 16. in Lucam concione 4. homilia 7. in caput 3. Matthei, & in oratione de beato Phylagorio. Alia in hanc rem adduxit Raeymakers. Adhuc ex multis alia pauca.

178. Dicebat Justus confitebor tibi Domine quoniam exaudisti me Psalmo 28. si dicebam morus pedes meus, misericordia tua Domine adiuua me. Super quo scribit Augustinus in Psalmos, ut quomodo confessionem amat Deus, confessionem vult humilitatem vult. Gregorius lib. 5. in primis Regum ad illa Verba & indicavit ei Ionatas: quidam dum peccata confitentur ea nimirum quibusdam imminuunt, dum se non ex toto anno commississe ostendunt. Econtra autem electi viri, quando se de minimis accusant, ea utique non quasi parua, sed quasi magna pronuntiant. Ecce confessio etiam de minimis.

179. Dicant nunc aduersarii nos dividere Ecclesiam, & hæreticis nos accersant, Hæretici ergo fuerunt Concilii Lateranensis Patres, dum in Canone, omnes utriusque sexus præceperunt juvenibus ut, ubi ad annos discretionis pervenerint, confiteantur, & cõmunicent in paschate. Ideo hæretici quia, inquit Arnaldus, adolescentes non facile adhibebantur ad Sacramentum Pœnitentiæ propter aetatis fragilitatem: & qui dividit Ecclesiam, est hæreticus.

180. Sed cachinno se dignum exhibet, dum in huiusrei probationem allegat partem Canonis Concilii Agatenfis: & alteram partem, ex qua verus ejus sensus elicitur, truncat more suo. Sic autem habet Canon.

Pœni-

181, *Pœnitentes*, tempore quo *Pœnitentiam* petunt, impositionem manuum & cilicium super caput, sicut ubique constitutum est, consequantur: si autem comas non deposuerint, aut vestimenta non mutaverint, abjiciantur: & nisi digne pœnituerint, non recipiantur. Iuvenibus etiam *Pœnitentia* non facile committenda est propter ætatis fragilitatem.

182. Ex isto contextu constat agi de publica & solemnī *Pœnitentia*, ac solemniter pœnitentibus, qui in prisca Ecclesia vocabantur proprie *Pœnitentes*, teste Augustino hom. 27. intor 50. est, inquit, *Pœnitentia* gravior atque luctuosior, in quâ proprie vocantur in Ecclesia *Pœnitentes*.

183. Ista non imponebatur invitis, nisi ob publica gravissimaque scelera, & gravi exurgente causa: Baronius ad annum 822. cum Augustino conveniunt Canones. v. g. in Concilio Toletano primo cap. 2. legitur, *Pœnitentem* dicimus eum, qui post baptismum, aut pro homicidio, aut pro diversis criminibus, gravissimisque peccatis publicam *Pœnitentiam* gerit sub cilicio.

184. Hi post actam pœnitentiam ad Clerum admitti non poterant nisi urgente necessitate. Dicto cap. 2. pendente *Pœnitentia* debebant inferre mortuos in ecclesiam Concil. Cart. 4. Can. 81. semper, dum essent in Ecclesia, flectere debebant can. 82. ibidem debebant jejunare 40. dies in pane & aquâ; quod jejunium vocabant carenâ: sic dictam ob aliorum victualium carentiam; erat isti *Pœnitentiæ* annexum castitatis votum, uti bene ostendit Raeymakers, & constat ex Conc. Arelatensi 2. Can. 2. ubi dicent, *Pœnitens* quemcumque defuncto viro alii nubere præsumpserit, cum eodem

eodem ab Ecclesia liminibus arceatur. Hoc etiam de viro in Pœnitentia posito placuit observari.

185. Propter istud castitatis votum dicitur ibidem Canon. 22. Pœnitentiam conjugatis, nisi ex consensu minime dandam. Dicat consequenter Arnaldus, nec uxorem fuisse admiffam ad Pœnitentiæ Sacramentum, nisi ex consensu mariti.

186. Hoc autem commune est istis viris, quod quidquid de istis proprie dictis seu publicis Pœnitentibus legunt, ad secretorum peccatorum confessionem Sacramentalem trahant, & quod legunt de dilata reconciliatione ipsorum usque ad completam satisfactionem trahant ad dilationem absolutionis etiam pro peccatis merè internis v. g. turpis desiderii. Sic tradit Gummarus in præfata Apolog. et in Apologia pag. 9. et pluribus sequentibus, Macar. Havermans in Disquisit. theolog. qui amor requiratur cum Sacramento ad justificationem. pag. 46. 47. P. Gabrielis pag. 123. & pluribus sequentibus, Neesen, Roucourt, Typographus Gandensis, Pasmans, cæterique post Arnaldum.

187. Pro istis publicè Pœnitentibus in certa Ecclesiæ latere constitutis fiebant ab Episcopo & Clero certæ preces cum impositione manus Episcopalis & Cleri, non semper, sed certis tantum diebus v. g. in quatuor temporibus & cinerum. Extant hac de re plures Cypriani Epistolæ, a. 10. cum pluribus sequent. & Canones plurimi causa 26. quest. 7. item distinct. 30. & in Canonibus sancti Bonifacii Germanorum Apostoli, quos retulit beatus Isac in suo Canonum lib. tit. 1.

188. Etsi autem Pœnitentia ista in vicis

fixi, non imponeretur nisi ob scelera publica (quod plurimis Patrum auctoritatibus fusissimè probavit nuper Jacobus Perit ad *calcem pœnitentialis S. Theodori*) aliquando tamen occultorum scelerum reis suadebatur, uti fusè probat *ibidem* & ante eum Joannes Bagoius in *dissertatione de pœnitentia*: item ex devotione eam suscipiebant quidam pro minoribus criminibus; imo etiam qui nullius criminis erant conscii, ut constat ex Conc. Toletano XI. *can. 12.*

189. Quod legit Arnaldus de certis precibus, quæ super istis publicè pœnitentibus fiebant, sic ille explicat in allegatis propositionibus, quasi Ecclesia pro aliis non oraret, quam quos pœnitentes videbat: & propterea confessionem venialium impugnat, eò quod confessione facta communi justis & injustis, Ecclesia nesciat pro quibus orare debeat.

190. Vult ergo revelata fuisse secreta: seu saltem in genere dictum *hic peccavit mortaliter*. Atqui hoc est frangere sigillum confessionis, & reddere illam quam maximè odiosam.

191. Damnat cum hæreticis sacrum Canonem Missæ, in quo expresse orat Sacerdos *pro omnibus circumstantibus*, ut participes Sacrificii fiant *pro Pontifice, Episcopo, & omnibus orthodoxis, atque Catholica & Apostolica fidei cultoribus*.

192. De hoc Canone sic ait Tridentinum Concilium *sess. 22. de Sacrificio Missæ cap. 4.*

193. *Ecclesia Catholica, ut digne reverenterque offerretur sacrum Canonem multis ante sæculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maximè sanctitatem ac pietatem quamdam re-*
 G *doleat,*

doleat, mentesque offerentium in Deum erigat, id enim constat, tum ex ipsis Domini verbis, tum ex apostolorum traditionibus, ac Sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.

CAPUT X.

De ordine in te Pœnitentiam seu Satisfactionem & Absolutionem servato in Ecclesia
12. primis sæculis.

194. **M**irè de 12. primorum sæculorù usu pro suæ doctrinæ novitate stabilienda nobis producunt adversarii. Antiquitatem igitur percurro, tum eorum exhibeo propositiones.

195. Catechismus Romanus dicto cap. 5. n. 87. sic habet: antiquissimo Ecclesia usu receptum est, ut cum pœnitentes à peccatis solvantur, pœna aliqua eis erogetur; cujus pœna solutio, satisfactio vocari consuevit. Ecce usus absolvendi non postquam impleta est satisfactio; sed dum imponitur: isque antiquissimus.

196. De isto usu testatur antiquus Græcorum historicus Sozomenus, & post eum Baronius ad annum Christi 56. verba retuli supra n. 154.

197. Joannes Monachus Sancti Basilii Dilectulus in suo libello de pœnitentia, data absolutione, cum pœnitente se deat confessarius, eumque hilari facie interroget, qualem pœnitentiam subire velit, deinde pergat, & absolutionis formam ponit.

198. Quaecumque declarasti humilitati meæ, Deus tibi dimittat per me peccatorem in hoc sæculo, & in futuro, & te indemnatum ad tremendum iudicium

tribunal sistat : de peccatis autem confessis ne sis sollicitus, vade in pace.

199. Ista aut simili absolvendi formula utebantur Græci, & etiam Latini quidam, quomodo adhuc Græci dicunt, non *Baptizo*, sed *Baptizetur Servus Christi*, eamque, statim à peccatorum confessione pronuntiabant : ut constat evidentissime ex pœnitentialibus relatis per Morinum ad calcem libri de Administratione pœnitentia.

200. Quomodo dixissent confessarii pœnitentibus suis, *de peccatis confessis ne sis sollicitus, vade in pace*, si non fuissent ab æterna damnatione liberati per absolutionem.

201. Semper tamen, inquit Nicephorus Calliophilax, perantiquus Græcorum scriptor in epistola ad Theodosium Monachum, cavebit confessarius, ne indulgentius, & citra omnem increpationem absolvat, hoc est inquit Morinus (quem adversarii doctissimum eruditissimumque censent) pœnitentiæ impositionem, lib. 6. cap. 24.

202. Baronius ad annum Christi 1164. refert pontificem de gravis sceleris reo respondisse, offensam diminuit confessio, accepta pœnitentia : dicit accepta, non impleta.

203. Christus ipse, effectum absolutionis statim date, multis Miraculis declaravit, referemus aliqua ex Baronio & aliis.

204. Scribit Baronius ad annum Christi 527, quod sanctus Medardus Regem Clovarium, reum gravissima depredationis ecclesiarum, tandem confitentem uno in momento indubitata relaxavit absolutione ; quam statim secutum est divinum Miraculum

refert illud latiùs Baronius.

205. Sanctus Malachias, referente D. Bernardo in ejus vita, sceleratissimam mulierem, penè furibundam inducit ut confiteatur: & confitetur, Malachias injungit pœnitentiam, orationes super eam fundit, seu absolvit & statim spiritum mansuetudinis consequitur.

206. In vita sancti Dunstani Cantuariensis Archiepiscopi apud Surium ad diem 19. May, de juvene à demone possessio, sic legitur: invasabant eum alii, sed si quid haberent gravioris culpa in conscientia recessus, quod confessi non essent; id illi obiicibat, eosque se pœnarum suarum apud inferos socios habiturum gratulabundus jactitabat. Ea res quibusdam non mediocrem attulit ignominiam. Sed mox à peccatorum suorum confessione remedium petebant: accepta itaque absolutione & satisfactione redibant ad dominiacum, tum ille transversum illos intuens, una inquit vos venitis? quo lavacro tam cito expurgati, & à meo contubernio abstracti estis? & hæc furibundus spumans & ejulans dicebat.

207. Nota si placet verba illa: accepta satisfactione non dicit impleta, dicit tam cito, non post multos annos, aut longi temporis multa opera Pœnitentialia.

208. Imo tantum abest quod differretur absolutio, ut nequidem differretur paschalis Communio etiam si recentissimè plura gravia peccata fuissent confessi, id constat ex sancto Eligio ubi scribit: unusquisque nostrum recurrat ad conscientiam suam secreta, & interroget semetipsum qualiter per totum annum, & maximè his sacris diebus conversatus est, & si invenerit in corde suo spinas & tribulos delictorum, studeat quantocius evellere, & evellendo eradicare.

209. Tum

209. Tum paulò post : & si hodie pariter confes-
sus, ac devotè conversus fuerit, ut valeat dignus interes-
se Solemnitati presentis diei, qua, quia in ea Dominus
cum Apostolis suis cenavit, Cœna vocatur. Videat sum-
mopere, ut Sacramenta corporis & sanguinis Domini
dignè recipere queat; quatenus potius salutem, quam
damnationem sibi acquirat.

210. Eandem rem aliis verbis repetit homilia
15. quod dico, omnibus dico : clericis, laïcis, sancti-
monialibus : ut quidquid se recolit invidia, aut de-
tractionis, odii quoque & fornicationis, sive incestus vel
perjurii, caterorumve vitiorum contagione attactum
saltem hodie per divina salutis medicamentum in quan-
tum prevalet, se purificare procuret, confiteatur ad-
versum se injustitiam suam Domino, ut remittat impie-
tatem cordis sui, & reliquia cogitationum ejus diem
festum agent Domino.

211. Hujus Sancti autoritas deberet adver-
sariis sufficere : quippe qui sæpissimæ ab illis al-
legatur v. g. ab Arnaldo part. 2. cap. 16. 11. 30.
4. &c. sed caute negotiatur ubique textus muti-
lando, aut quæ ipsum jugulant, subtrahendo.

212. Alterum peremptoriumque argumentum
datæ absolutionis ante actam pœnitentiam, pre-
bent illi Canones, quos ipse exhibuit D. Du bois,
ex quibus constat quod pendente Canonum
pœnitentia, daretur pœnitentibus sacra Com-
munion, certis diebus per annum, præsertim in
paschate.

213. Primus Canon est Soteris, qui præfuit
Ecclesiæ anno Christi 156. qui sic habet, *in cena*
Domini à quibusdam perceptio Eucharistiæ negligitur,
quæ quoniã in eodem die ab omnibus fidelibus (exceptis ijs
quibus

quibus pro gravibus criminibus inhibatum est) percipienda sit, Ecclesiasticus usus demonstrat, cum etiam Pœnitentes eodem die ad percipienda corporis & sanguinis Domini Sacramenta reconcilientur: *distinctione de consecrat. cap. 17.*

214. Secundus est Innocentii 1. qui præfuit anno Christi 402. & sic habet: *de Pœnitentibus, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus Pœnitentiam gerunt, si nulla intervenerit aegritudo, quarta feria ante pascha eis remittendum, Romana Ecclesia consuetudo demonstrat.*

215. Dicit Pontifex si nulla interveniat aegritudo: quia illa interveniente non expectabatur Paschale tempus, sed statim reconciliabatur pœnitens, & ipsi eucharistia porrigebatur: *Leo 1. Epistola 91. plures alii exstant hac de re Canones canonica 26. quæst. 6.*

216. Pœnitens autem reconciliatus ad Sacramenta in paschate vel in infirmitate percipienda lapsis festis paschalibus, vel recuperata sanitate subjiciebatur denuo pœnitentiæ legibus, usque ad completam satisfactionem: *Canone 11. Concilii Niceni 1. & aliis pluribus dictâ quæst. 6.*

217. Hoc adhuc praxis observat in multis, nam excommunicati absolvuntur per interim, in natalitiis Domini, paschate, & pentecoste, ut possint Ecclesiastica Sacramenta percipere *Emylius Verulius part. 1. titulo 1. decisione 2.*

218. Et curiarum Ecclesiasticarum officiales norunt quod in dispensationibus matrimonialibus super impedimento irritante, apponitur sententia per hæc clausula, vel similis à censuris, sententiis & pœnis si quomodolibet innodati existant ad effectum præsumendum

sentium dum taxat harum serie absolventes: vi cuius
absolutionis possunt sponsus & sponsa percipere
Sacramenta ipsius Matrimonii, & venerabilis Eu-
charistiæ, per quam sanctius ad illud disponan-
tur: licet, quo ad cætera, censuris, sententiis &
pœnis canonicis maneant innodati.

219. Idem animadvertunt quotidie regii Se-
natores, ad quos Pontificiæ Bullæ deferuntur
pro placeto, aut coram quibus possessoria actio
ex collatione pontificia intentatur. Animad-
vertunt in quam eadem clausulam ad effectum
presentium &c. Sine qua nec in iudicio agere nec
obtentâ gratiâ gaudere possent impetrantes,
casu quo essent excommunicati.

220. Istam ad unum effectum absolutionem
publicè pœnitentium pulchrè expressit Soter, &
canon Concilii Cabilonensis statim referendus,
dum dicunt *ad percipienda Sacramenta Sanguinis &
Corporis Domini reconcilientur.* Reconciliationem
autem, quæ completâ pœnitentiâ datur, ca-
nones vocant reconciliationem *plenissimam, ple-
nam, item legitimam communionem, perfectionem,*
aliquando etiam simpliciter *communionem*; nempe
tam in humanis quam in divinis cum cæteris fi-
delibus. *Concilium Vasense 2. can. 2. Arelat. 2.
can. 28. Auroscanum 1. can. 3.*

221. Tertius Canon est Silverii Pontificis,
qui præfuit 536. sicque habet, *apud Ivo-nem 2. part.
Decreti, & Burchardum lib. 5. cap. 19. singulis diebus
Dominicis in quadragesima, præter eos, qui excom-
municati sunt, & præter illos, qui in publica Pœniten-
tia sunt, Sacramenta Corporis & sanguinis Christi
sumenda sunt, & in cœna Domini, in vigilia Pasche,*
&

& in die resurrectionis Domini, & in Pentecoste, & in Natali Domini (nota) ab omnibus communicandum.

222. Quartus est Canon 47. Concilii Cabilonensis 2. quo dicitur *in coena Domini à quibusdam perceptio Eucharistia negligitur: qua quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus, exceptis his quibus pro gravibus criminibus inhibuitur est, percipienda sit, Ecclesiasticus usus demonstrat, cum etiam poenitentes eadem die ad percipienda corporis & sanguinis Domini Sacramenta reconcilientur.*

223. Quintus est Canon S. Theodulphi, qui inter suos Canones (quos Baronius ad annum Christi 835. antiquitatis Ecclesiae disciplinam vocat) cap. 44. ita scripsit: *Sicut periculosum est, impurum quemque ad tantum Sacramentum accedere, ita etiam periculosum est ab hoc prolixo tempore abstinere, salva ratione eorum, qui excommunicati, non quando eis libet, sed certis temporibus communicant, & Religiosis quibuscumque sanctè viventibus, qui poene omni die id faciunt.*

224. Et cap. 41. *singulis diebus Dominicis in Quadragesima, prater hos, qui excommunicati sunt, Sacramenta corporis & sanguinis Christi sumenda sunt & in coena Domini, & in Parasceue, in vigilia Pasche, & in die resurrectionis Domini penitus ab omnibus communicandum.*

225. Videt hic Lector excommunicatos, adeoque tales, qui pro publicis delictis necdum satisfecerant, admissos esse ad sacram Communionem, & consequenter absolutos in foro interiori, sed nondum per absolutionem in foro externo plenè Ecclesiae & Communioni fidelium reconciliatos.

226. Distin-

226. *Distinctio ista duplicis absolutionis expressè etiam traditur in Concilio Tridentino sess. 24. de reformatione cap. 6. à Sancto Carolo Borromeo Concilio Provinciali 5. titulo preparatio adjumentorum spiritualium, & solet inferi in dispensationibus Matrimonialibus, quæ diriguntur clausæ, non ad officialem, sed ad discretum confessarium per pœnitentiariam, non per datariam expeditæ.*

Istas rerum distinctiones dum ignorant, vel videre nolunt adversarii; ecce quid nobis de veteris ecclesiæ ordine inter satisfactionem & absolutionem in foro conscientiæ (de qua tota Quæstio est) fabricarint; ex quibus deinde totum differendæ absolutionis ædificium struunt.

C A P U T X I.

Exhibentur adversariorum Propositiones circa Praxim veteris Ecclesiæ.

227. *S*atisfactionem olim fuisse præmissam Sacramentali absolutioni, non, nisi qui in antiquitate peregrinus est, ignorat Macarius Havermans in dicta disquisitione Theologica pag. 47. PROP: 51.

228. Sed unde tam superbè & audacter Macarius? accipe ex eodem pag. 113.

229. *Licet quandoque, in contra, à ratione naturali argumenta aliqua objiciantur, tam ingentia, ut vix quid regerem, habeam: non ideo cedo meæ opinioni, in verbo Dei, scripto, vel tradito, conciliis vel patribus, fundatò.* PROP: 52.

230. Ne unum Patrem, nec Concilium unum nec ullius verbi Dei exhibet textum, quo appa-

H

ren-

reter probet jam dictam propositionem de pro
mittenda satisfactione : tota ejus probatio ha
est .

PROP: 231. *Probat luculentè mox laudatus D. Huygens*
53. *Apolog. sua § 2.*

132. Adeamus D. Gummarum Huygens :
plures inveniemus propositiones nullo modo
probatas, sed per illa quæ allegat, apertè con
futatas.

PROP: 233. In præfatione apologet. hæc nobis sub
54. ministrat, *in ecclesia Occidentali : per 12. sæcula ob
servatum est, teste Morino, ut pœnitentiæ Canonibus
ante absolutionem peragenda essent.*

PROP: 234. *Idem Morinus testatur hoc adhuc observari*
55. *in Oriente. Uno tractu calami, citat nobis plures
Morini tomos, & unius tomi, 10. magnos
libros*

235. Morinum contradicere ipsi in terminis
Paulo post ostendam, prosequor propositiones

PROP: 236. Ut ipsi dicenti crederetur, & lectorem
56. ab indagine averteret pari tractu calami in Me
thodo pag. 98. citat nobis 10. magna Augustini
volumina, & ad absolutionem requirit quod
confitens exuerit peccandi consuetudinem : ver
ba ejus sunt : *cum Augustino postulamus, ut violen
tia pœnitendi, cedat consuetudo peccandi.*

237. Repertus est Augustini textus : 16. est
in tractatu 49. *in Ioannem* ; qui solus ad Gum
mari Methodum evertendam quoque sufficit,
modò perpenduntur ea, quæ omisit. Supplebi
mus illa infra.

238. Gummaro quo ad præfatum ordinem,
præiverat Arnaldus *part. 2. cap. 8. & 19. Secu*

tus est Pater Gabrielis, qui ferè verbotenus dictum caput 8. transcripsit, & pag. 123. scripsit.

239. Ordo hic fuit, ut peccator morbum suum detegeret Sacerdoti, 2. ut Sacerdos imponat pœnitentiam, 3. ut pœnitens eam impleret 4. quod pœnitentiâ impletâ absque relapsu demum absolveretur. PROP: 57.

240. Addit pag. 127. Hanc esse doctrinam cathedrali Sancti Petri, idem habet Typographus Gandensis in dicta præfatione; sed omnes tres turpissimè mutilant textus, quos allegant, ita ut certum sit quod Arnaldus nudè ex Marco Antonio transcripsit, alii ex Arnaldo: aut certè si fontes ipsos viderint, ea subtraxerint quæ totam Machinam doctrinæ ipsorum subvertunt. PROP: 58.

241. Citant enim hos tres: primò Innocentium 1. epistola 1. & ex illo hæc verba, *de pondere estimando delictorum Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus, atque lacrymas corrigentis, & tum jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem.*

242. Omittit autem partem immediatè antecedentem, quam retuli supra n. 214. ex qua constat agi de publicè pœnitentibus: constat insuper ex ipsomet Innocentii textu, datam istis pœnitentibus fuisse in paschate sacram communionem pendente pœnitentia, & consequenter fuisse antea datam absolutionem Sacramentalem.

243. Constat insuper ex canonibus, publicè pœnitenti datam fuisse absolutionem duplicem, unam Sacramentalem & in foro interno dum confiterentur; alteram, quâ completâ congruâ pœnitentiâ, restituebantur plenæ

communioni fidelium, & liberi ab omnibus
pœnitentiæ publicæ supra expressis legibus
mittebantur.

244. Distinctio illa, in terminis habetur in
canone S. Bonifacii Germanorum Apostoli per
Zachariam pontificem confirmato, quem refert
beatus Isaâc titulo 1. cap. 11.

245. Secundo loco adferunt extractum ex
epistola 91. Leonis 1. qui similiter agit de publi-
cè pœnitentibus, & omittunt partem, quæ
de absolutione Sacramentali agit; & quæ sic
habet: *in dispensandis Dei donis non debemus esse
difficiles, nec accusantium se lacrymas gemitusque con-
temnere, cum ipsam pœnitendi affectionem ex Deo
credamus inspiratione conceptam.*

246. Citant 3. verba quædam Gregorii, ho-
milia 26. in Evangelia & dum veniunt ad illa,
quæ totam machinam evertunt, textum synco-
pant, seu omittunt hæc: *illos debemus per Passa-
ralem auctoritatem solvere, quos authorem nostrum
cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare: quæ
nimirum vivificatio ante operationem rectitudinis in
ipsa jam cognoscitur confessione peccati.*

247. Pari modo D. Gummarus in propo-
sitione 55. citatus, truncat Augustinum. Verba
Augustini ex quibus propositionem suam de-
sumpsit, sunt: *fremere peccator quodammodo debet in
accusatione malorum operum, ut violentia pœnitentiæ
cedat consuetudo peccandi.*

248. Explicat ibi Augustinus finem, quem
debet intendere confitens: non autem qui debeat
præcedere absolutionem: sic enim pergit Augu-
stinus: *quando confiteris, procedis. Quid est enim
pro-*

procedere, nisi ab occulto velut exeundo manifestari
 (sed ut confitearis, Deus facit magna voce clamando, id
 est magnâ gratiâ vocando. Ideo cum processisset mortuus
 (Lazarus) adhuc ligatus, confitens & adhuc reus:
 ut solverentur peccata ejus, ministris hoc dicit Dominus:
 Morte illum.

249. Vides quod ibi velit ille confitentem ab-
 solvi, non autem differri donec exuta sit consue-
 tudo prava: hæc, ut dixi, totam ipforum
 Machinam everunt. Nihilominus hanc miseris
 peccatoribus, fimbrias suas ipsi laxantes, ponunt
 legem. *Confitens non habet jus ad absolutionem*, ita PROP.
 scena novi gymnasii, & Pater Gabrielis (illu- 39.
 strissimo Archiepiscopo à consiliis frequentibus)
 pagina 133. post Arnaldum cap 12.

250. quibus oppono jam citatos Gregorîi,
 Leonis, & Augustini textus. Addo S. Eligium
 homilia 11. Bedam in caput 11. Ioannis, Haymonem
 Halberstatensem homilia in octavas Pascha, Ansel-
 mum in caput 11. Matthei. &c.

251. Citant Arnaldus & Pater Gabrielis post
 Marcum Antonium n. 54. Gregorium lib. 6. in
 caput 15. lib. 1. Regum.

252. Excusserunt mihi sepè Lacrymas tam
 cæcæ citationes, agit Gregorius de Saule, qui
 volebat veram subire pœnitentiam, sed dicebat
 Prophetæ, *porta queso peccatum meum*. volebat
 humiliationis pœnam Deo inflictam subire: dice-
 bat enim *peccavi, sed nunc honora me, coram seniori-*
bus populi mei, & coram Israel. Ita textus dicti
 capitis 15. quem explicat Gregorius.

253. Quid ista ad absolutionis dilationem; si
 agimus (pro ut agimus) de eo, qui paratus est
 ser-

servare in posterum Dei mandata?

254. Nullum Canonem citat in tota Methodo D. Gummarus, sed loca mutila Sancti Caroli.

Quia forsan legit volumina eminentiss. Cardinalis Frederici Borromæi Præfulis Mediolan. qui habet lib. 3. de sacris Oratoribus: *memoria relicta nobis foret illustrior, si Scripta ipsius eam potius sent habere perfectionem, quam habuissent certe, si diutius vixisset.* Ostenderat enim paulò ante quam extingueretur, magnopere cordi esse sibi, ut manus illis extremam admoveret. & paulò infra: De S. Caroli Scriptis perierat jam aliquid: sicut ego ab illis accepi, qui debuerant ea fideliter ac sedulò custodire.

255. V.g. pagina 50. Methodi citat textum quo S. Carolus dicit, *consultum est differre absolutionem adolescentibus, qui in otio vitam agunt, qui luxui dediti, amores inhonestos sequuntur, & confessionem differunt usque ad ultimos Quadragesime dies.*

PROP:
60.

256. Ex quibus infert D. Gummarus, idè differendam esse absolutionem quia Deus non dat tam cito gratiam.

Quis hæc tibi revelavit? gratiam quod tam cito non habeant, unde tibi constat? fortè scrutator renum & cordis, cum Deo es: nam Doctor cui neminem secundum admittis, Deo id disjucandum relinquit, dum peccatores peccavi, ingeminant, sic ait S. Augustinus ser. 7. de lapsu David: & tom 6. lib. 22. contra Faust. 66. dum reflectit quod & David & Saul dixerint peccavi: sed non utrique a Deo condonatum fuerit: in similitudine voce quam sensus humanus audiebat, dissimile peccatum erat (nota sequentia) quod divinus oculus discerniebat. Ad quid igitur differis absolutionem ut illam gratiam

gratiam post quindenale poenitentiam expectes
 tum gratiâ perfusam? August. tom 10. ser. 66.
 de temp : Poenitentia vera, non annorum numero
 mensetur, sed animi amaritudine. Vnde S. Petrus mox
 Domino Indulgentiam accepit, quia amarissime fleuit
 vna negationis culpam.

257. Sic deinde infert ulterius, quapropter dis- PROF:
 ferenda est absolutio, ut eo pacto mentem advertant, 61:
 quid commuerint, & quomodo veniam obtineant;
 atque injungendum interim, ut precibus, operibus
 poenitentia, aliisque pietatis ac virtutum exercitati-
 bus, atque imprimis iis quæ consuetudini prava adver-
 sentur, sese ad sinceram conversionem disponant.

258. Quasi vero, qui peccata præsertim tur-
 pia, cum maximo rubore & luctatione enar-
 rant, id facerent, nisi adverterent quid commuer-
 rissent, aut si minus advertant, sit propterea opus
 tanta dilatione, quam adhibent, & non possint
 etiam in ipsa sede confessionali, confessario re-
 presentante, apprehendere quid commuerint.

259. Certè hoc posse plerumque fieri osten-
 dit evidenter tam S. Carolus in suis primis in-
 structionibus, quam Catechismus Romanus
 dicto cap. 5. n. 82.

260. Ubi etiam monet, Sacerdoti maxime PROF:
 reverendum esse, ne semel dimissi amplius non redeant. 62:
 Gummarus autem in pagina 135. dicit: replicam
 illam, semel dimissi amplius non redibunt, esse meticulo-
 sam quorundam objectionem.

261. Porro ratio cur S. Carolus adolescentes
 illos remitti velit, non est illa, quam fingunt:
 sed illa quam expressit partim in suis primis in-
 structionibus, partim postea clarius Concilio 5.
 ubi

ubi tit. de iis qua ad Sacram. pœnit. ait:

262. Parochus singulos, eosque præsertim, qui perni-
 confitentur moneat, ut ne confessionem in postremis illi
 quadragesima dies differant, quibus Sacerdotes ob my-
 riorum celebritatem, assidua divinorum occupatione, et
 audiendis confessionibus impediuntur, vel frequentibus
 concursu fidelium defatigati, ita in eo ipso munere præ-
 stando fere opprimuntur, ut tantum, jamque salutare
 ministerium in confertissima multitudine vix rectè illi
 præstare queant.

263. Si ergo alio tempore venirent, vel ac-
 cederent confessarium non impeditum, nusquam
 illis absolutionem differendam docet sanctus
 Carolus: ad pœnam lectionis omnium operum
 ejus provoco.

264. Profert Gummarus in Methodo pag.
 53. & sequentibus aliquot Scripturæ textus, sed
 ne unus illorum vel apparenter significat differen-
 dam esse absolutionem, quo usque omnia illa
 quæ ibi proponit impleta sint: aliàs sequeretur
 neminem absolvi posse, nisi ultimo vitæ tempore.
 Lectorem rogo, ut paginas illas adeat.

265. Nec convenit in propositione 59. Gum-
 marus cum Romano Catechismo, in quo cap.
 n. 39. legitur.

266. Ne desperent fideles de summa Dei bonitate &
 Clementia: is enim, cum nostra salutis cupidissimus
 nullam moram ad tribuendam nobis veniam interponit,
 sed peccatorem paterna charitate complectitur, simul
 atque ille se collegerit, & universa peccata sua detestatur,
 quæ deinde alio tempore, si facultas erit, singula
 in memoriam reducere, ac detestari in animo habere
 ad Dominum se convertit, ita enim nos per prophetam
 jubet

jubet sperare, cum inquit: impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.

Forte Gummarus comparationes hinc suas adducet palmares, ut putat, in sua methodo ubi ait: si quis in regem peccaverit ille, cui rex sæpe delictum condonavit, amplius illi non dimittet, at in Theologo nil comparatio probat, sed ratio, sed autoritas & desuper turpissimè errat infinità Dei misericordiã æquando finitæ hominũ Clementiæ, sed Augustinum exhibilantem audiat claudicantem ejus similitudinẽ, tom. 10. lib. 50. Hom. homil. 50. circa finẽ: certiores sunt claves Ecclesie quam corda regum. Dixit Dñus: in quacumque hora ingemuerit peccator, peccatorum ejus non recordabor, quis regum hoc dixit? hinc denuo ait Augustin. ser. 1. de pœnit. & jeiun. Si peccaveris postquam panituisisti, & promisisti Deo amplius te non peccaturum, non desperes, sed age graviozem pœnitentiam, quam primò egisti: quia quantas vices cadit homo, tantas debet resurgere, & plangere excessum suum cum gemitu & suspirio. & idem ser. 5. de litanis Quamvis autem multis vulneribus conditio humana laboret, tamen nemo desperet, quia Dominus satis largus est (nora sequentia) & circa omnes languentes misericordiã suã bona libenter impendit.

267. Sed in desperationem agent adversarii. Gummarum enim, vel potius Jansenium secutus Joannes Roucourt, en la conduite à la Penitence, alloquens fideles Catholicos, de gratia pœnitendi sic loquitur pag. 29.

268. Il est assuré que Dieu la refuse par la justice de ses jugemens au plus grand nombre des pecheurs, puisque nous voyons que le plus grand nombre vient à mourir dans les pechez.

PROP.
63.

1

269. Hoc

269. Hoc vero directè repugnat omnibus Patribus, Ambrosio 7. in *Lucam* ubi scribit: *non deest gratia pœnitendi* lib. 1. de pœnitentia cap. 2. *gratiam promittit omnibus* cap. 9. *Deus qui pœnitentiam exigit, veniam pollicetur*: cap. 12. *omnibus promittit misericordiam*, cap. 16. *non estis spiritus mei, qui Clementiam meam non tenetis, qui meam refutat misericordiam, qui excluditis pœnitentiam*, lib. 2. cap. 4. *non interclusisset spem veniam quem invitavit ad pœnitentiam*, cap. 6. *ideo derelictus est, quia gratiam refutavit*, cap. 7. *si te accusaveris, accusatorem nullum timebis*.

270. Repugnat Augustino *sermone* 58. *de tempore* & 88. ubi & ipsi pharaoni pœnitentiam gratiam adfuisse ostendit. Et adesse omnibus docet expresse, *libro* 1. de *Genesis ad litteram contra Manichæos* cap. 3. repugnat Augustini *Discipulis Orosio contra pelagianos in fine*, Prospero *lib.* 2. de *vocatione gentium* cap. 8. usque ad 18. Chrysostomo *homilia* 7. in *Joannem*, Cypriano *epist.* 59. Hilario *lib.* 2. de *Trinitate in fine*, Gregorio *lib.* 17. *Moralium* cap. 4.

271. Quibus, aliisque argumentis convictus Doctor Steyarts (error in errorem trahit contra macé) nova à sæculo inaudita, omnium Doctorum totius Europæ calculo improbata cudit in una famosarum epistolarum contra Dominum Du boisper collegia dispersarum, inde per totum Belgium 3. dogmata sequentia.

PROP: 272. *Mihi evidens est libros de vocatione gentium*
64. *non esse Prosperi Aquitanici, seu Augustini Discipuli.*

PROP: 273. *Vel esse scriptum ante Carmen de in-*
65. *gratis.*

274. *Vel esse Prosperi Aurelianensis.*

275. Quæ omnia, & aliæ 14. Propositiones feruntur ab illo quem invaserat (animo, ut ipse met fatetur in una ex istis famosis epistolis, eum explodendi) professore confutata, una cum aliis 14. Propositionibus, in scripto 15. foliorum, quod ipso adhuc Lovanii ante Romanum iter existente publicè in scholis distribuit, provocando eundem, quatenus vel unam ex sententiis, quam impugnabat, Romæ condemnari curaret, ut ipse obmutuerit penitus, & ne vel unam Romæ proponere fuit ausus. Scripto illi titulus præfigitur, *de gratia parvulorum*: sed necdum Tiipos subiit, professore exspectante legationis finem.

276. Ratio, quam in paulò ante dicta propositione allegat Joannes Roucourt, repugnat directè Bullæ Innocentii X. damnantis hanc, *gratia interiori non resistitur.*

277. Hanc damnatam propositionem, ut autoritate sacri textus roboraret Arnaldus in sua gallica translatione novi Testamenti, id quod dixit Deus Apocalypsis 3. versu 19. & 20. *pœnitentiam age, ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum & cenabo cum illo* (per quæ verba clarè constat hominem repellere aliquando gratiam, & ex proprio ipsius defectu provenire, quod non agat pœnitentiam) Sic ille vertit: *faites pœnitence car je seray bientôt à la porte, & je frapperay: si quelqu'un entend ma voix, & m'ouvre la porte, j'entreray chez luy & je souperay avec luy.*

PROP:
67:

278. Ita nempe ne admitteret sufficientem poenitendi gratiam in iis, qui actu non poenitent, ausus est textum rejicere, eique præferre quandam interpretationem ostii, qui fuit Bay Discipulus, & in pluribus Bay sectator.

279. Istius translationis quæ Bruxellis prodit cum hac ad fallendum additione *reveüe & corrigèe*, ultra 200. continet errores manifestos, & ostendit nuper D. Du bois in notis ad eandem versionem, ex quibus multi non fuerant ita exactè animadversi.

280. Ex illis sunt facilè 70. ex Calvino præcipuè, aliisque hæreticis inspersi: per Romanam autem correctionem jussu Tridentini Concilii factam, post consultas universitates eo studio & diligentia quæ refertur in ipsa præfatione ad Biblia plantiniana condemnati: & per Arnaldum renovati.

A P P E N D I X.

Exhibentur plures aliæ Propositiones, & ostenditur quomodo adversariorum doctrina, non tantum conscientias turbat, sed etiam familias illustres sit nata subvertere.

CAsum unum exempli loco proponam, & super illo Gumhari responsiones.

281. Masculus vel puella inter se vel cum aliis, sæpius in peccatum carnis lapsi sunt: occurrit nubendi occasio: statuunt sequi illud Pauli, *melius est nubere quam uri*: consentiunt Matrimonio parentes: inicitur antenuptialis contra-

ctus : determinatur celebrationi dies : sponsus
& sponsa , quo sanctius Matrimonii Sacramen-
tum suscipiant, pridie confitentur intendentes sa-
cram Eucharistiam percipere : quid hic juxta
D. Gummari Methodum faciet Parochus?

283. *Differenda est Absolutio, quia tales non so-* PROP:
lent subito converti, Methodi pagina 80. 81. 89. 68.

8. III. & sequentibus.

284. Quid si ergo tantum semel se mutuò
cognoverint, aut Masculus tantum semel aliam?

285. *Talis nec absolvi poterit, nisi sua sponte ea* PROP:
omnia egerit, qua confessarius absolutionem dilaturus 69.

permittenda absolutioni judicaret Methodi pag. 202.

286. Verum quid confessarius exiger?

287. *Per Precationes, jejunia, aliaque pœni-* PROP:
tentia opera se, eo quo par est tempore præparet; at- 70.

que eo pacto per pœnitentia gradus ad veram tandem
conversionem evitatur Meth. pag. 293.

288. Quanto tempore parabit se, præsertim
si sæpius alteram, vel sponsam suam cogno-
verit.

289. *Multo tam labore quam tempore opus esse* PROP:
solet ad verè justificationis dotem adipiscendam Metho- 71:
di pag. 54. in fine.

290. Sed suppose quod jam incepit se corri-
gere, & à tempore quo sponsalia iniit, dimi-
sit concubinam, aut sponsam, quam ante cog-
noverat, ulterius attigit; ut se ad Matrimonii
Sacramentum præpararet: tentantur vero ambo
vehementer, instat celebrandi Matrimonii
præscriptus dies, an absolvere illum pastor po-
terit?

291. *Neutiquam: II 6. Verum odium & prate-* PROP:
rito- 72.

ritorum detestatio, a quæ necessaria sunt, & præ
hac vera ad Deum conversio; illa vero cum repente
quiri non soleant, nec illis quoque nisi notabilem
mutationem præmiserint, à Deo infundi credendum erit.
pag. 116.

PROP: 292. Neque enim inquit Gregorius part. 3. cura
73. part. admonit. 31. scriptor, si à scriptione cessaverit,
quia alia non addidit, etiam illa quæ scripserat, de-
levit.

293. Insto: addidit ille sponfus alia, propo-
fuit emendare vitam, discussit conscientiam,
offert subire poenitentiam, confitetur, quid
adhuc requiris?

PRO: 294. Prorsus convenit, ut quemadmodum ager
74. inchoatâ jam curatione è longo tempore non invisit
medico non patitur; ita & spiritualis ager brevi post
tempore (quod octo, ut plurimum pauciorumve pro
confessarii judicio erit dierum) rursus confessarii se
exhibeat, dicatque quid præscripta medicamina præ-
fecerunt, & nova, si visum fuerit, ab eo excipiat.
hoc ad similitudinem curationis corporalis identidem
faciendum, donec pro confessarii prudentia valetudinem
spirituali restitutus fuerit.

295. Imperitus medicus, qui mortis causas
(hoc est peccatum mortale) non prius extrahit,
quam fuerit ager valetudini restitutus.

296. Quid si amici sint jam invitati, præ-
rata altitia &c. Quid si sola puella peccaverit, &
ex dilata absolutione gravis de peccato carnis
oriatur adolescenti suspicio? quid si solus maritus
culus, & quia à peccato absolutus non est,
si Matrimonii contractum differat; dilatio in-
gerat suspicionem quod puellam velit deserere
per

periculum fit diffensionum, duellorum, subver-
sionis illustrium familiarum, quid si masculus
ille dum interim absolutio differtur, reverti de-
beat ad provinciæ vel civitatis gubernium, mu-
tare castra, & ex suspitione quod sponsam ha-
bere nolit, maneat illa infamis, & tamquam
prostituta, præsertim si ille interim moriatur
antequam ducat, fortasse ex ipso gravidam;
sed quæ legitimè fuit à peccato absoluta. Quid
faciet parochus, ut tot imminetia mala avertat.

297. *Quidquid obsequiorum, turbarum aut in-* PROP:
commodi consequatur. juxta hypotheses 3. potissimum 75.

¶ 4. *agendum judico. Gummarus in Methodo pag.*

116. *accipe hypotheses.*

298. *Tertia: numquam uti licet materia dubia,* PROP:
incerta haberi potest: confessarius igitur justo reli- 76.
gio dubio, an dolor pœnitentis & propositum suffi-
cient, nequit eum sic absolvere, si debita dispositio-
nis certitudinem procurare possit. pag. 2.

299. *Quarta: non licet administrare Sacramen-* PROP:
tum, dum materia est verè dubia, quamquam alia 77.
haberi nequeat; nisi tam irreverentia periculum,
quam alia indè secutura incommoda, justa excuset
necessitas. Vnde illum, de cujus sincero dolore vel
proposito merito dubitatur, absolvere citra necessita-
tem nequaquam licet: sicut nulla urgente necessitate
liquore de quo an sit aqua, ambigitur, Baptizare in-
hibetur. Secus dicendum dum justa necessitas (qualis
dehinc procul est extrema) aliud cogit, quia v. g.
alioquin absque Baptismate quispiam decessurus foret.

300. *Quomodo vis Gummare tibi eximi du-*
bitum de veritate doloris?

301. *Si in tribunali externo non creditur reo di-* PROP:
centi 78.

centi se soluisse, nec ideo absolvendus erit, quanto
minus absolvet confessarius, pag. 195. 196.

302. Quid si toto corde se dolere de præteritis
velle futura cavere, ad occasiones vitandas parat-
tum, imo ad media à confessario suggerenda
adversus periculum relapsus accipienda promp-
tum se affirmet, atque exhibeat?

PRO: 303. Nihilominus respondendum est universa hec
79: non facere satis, qui credas & persuasum habeas, quod
veterem consuetudinem exuerint novamque induerint
Methodi. p. 89.

304. Qualem ergo certitudinem de veritate
conversionis requiris? semper enim dubium
manebit, an verè ex animo de peccatis, & De
offensa doleat, an opera præscripta impleverit,
nisi supponas ipsi junctos fuisse perpetuo deos
testes, quomodo de interna animi conversio-
ne seu dispositione moraliter eris certus.

PRO: 305. Suffragabor facile hinc confici, quod adde-
80: pisci nequeamus certitudinem omnimodam, imo ne-
eam, quam physicam vocant, ejusmodi parari potest
v. g. de materia Baptismi, Eucharistia, aut alia sensu
li. Ast quam optimè cum eo componitur certitudo mo-
ralis, qualem citra dubium postulabit Rex de fidelitate
te gubernatoris prius, quam illum admovebit moderati-
oni arcis vel civitatis, à qua regni pendet salus,
quidem cupiet esse moraliter certus, quod illi non
animus regnum prodendi, præsertim si nil aliud
urgeat, neque premat necessitas illum præ ceteris ad
muneris evehendi; quamquam igitur ille ipsius
mus seu voluntas intus lateat, certitudo equidem ha-
beri moralis potest; etenim sicut interna animi alterius
dispositio alteri certo cognita secundum se esse nequit

ia signa externa patere possunt & percipi, qua eam
dispositionem morali testentur certitudine pag. 197

306. Requirit ergo ut testes actionum ad-
hibeantur. Sed audiamus quid dicat de eo qui
relapsus est: quantam ab eo exigat certitudi-
nem, præsertim si 3. aut. 4. in idem peccatum
inciderit, seu potius a quo simili deproinat argu-
mentum.

307. Magnam pecunia summam, præsertim si non
sit numerata, nemo citra necessitatem concedet pere-
grino cuiquam & ignoto, etsi nihil illius se furari velle
ipse asseveret. Alterum non minus clarum: summam
dictam minus committet persona peregrina, & ignota,
quæ illam pecunia egere novit: tertium denique sic mon-
stratur: quam maximè quis alienus erit, ut homini
peregrino, ignoto & indigo pecunia custodiam deman-
det, si præter hæc omnia noverit quoque frequentia
ejus furta. Methodi. p. 199.

308. Fateor: qui sapiunt, sicuti sapiendum
est ad sobrietatem, minimè capiunt ista in sublime
elevati sensus argumenta.

309. Quid si dilata absolutione moriatur?

310. Hæc objectio vana & frivola est, dum sit
peccatore contra confessarium, qui vult justis de cau-
sæ poenitentiam impleri antequam det absolutionem P.
Gab. pag. 144. Qua ratione frivola & vana?

311. Vel enim peccator efficaciter intendit conver-
ti, vel non, si efficaciter intendit converti, poeniten-
tiam implebit, & si moriatur ante absolutionem, sola
voluntate efficaci conversionis salvabitur; si non inten-
dit, absolutio ipsi oberit, quia ad illam non est dispo-
situs; sicque addet peccatis suis sacrilegium, seu Sa-
cramenti profanationem ad majorem sui damnationem.

312. Eodem collimat Gummarus in Metho-
do pag. 125. & sequentibus, sed contra: quid
fit dispositus sufficienter ad obtinendam peccati
remissionem cum Sacramento, insufficienter
autem sine Sacramento. Hoc sæpissimè contingere
docet Romanus Catechismus parte 2. cap. 5.
n. 46. & 47. de posterioribus, dicit S. Leo epi-
stola 91. *Si aliquis, eorum quocumque interceptus obsta-
culo à munere indulgentia, presentis exciderit, &
priusquam ad constituta remedia perveniat, tempora-
lem vitam humana conditione finierit: quod manens in
corpore non receperit, consequi exutus carne non pe-
terit.*

PROP:
84.

313. Constat nihilominus sibi semper Gum-
marus & pag. 131. scribit: *velim expendam illi
quos hac movet objectio (nempe fieri potest ut per-
dente dilatione moriatur) quo pacto non in-
simulent benignam Matrem Ecclesiam severitatis
qua annos aliquot poenitentia absolutioni promissa
olim voluit: neque sacro Baptismatis fonte (absente
justa necessitate) tinxit, nisi pascha aut pentecoste
festivitate appetente, nihilne tum periculi, nequis poeni-
tentium aut catechumenorum decederet sine Sacramento
quo nullum magis necessarium?*

314. Qualis hinc comparatio? Baptismus de-
ri potest à quolibet, etiam à femina Catechume-
no, imo pagano, & judæo, ut respondit Nie-
colaus primus ad consulta Bulgarorum: absolutio
non nisi à Sacerdote, qui non est ita ubique pre-
sens, sicuti est persona capax conferendi Bap-
tismi. Præterea morem illum differendi Bap-
tismi parvulis dudum sustulit ecclesia, & ac-
cumentum à jure correcto stultum reputant pe-
risperiti.

315. Et quidquid dixit Gummarus in præfatis propositionibus, deprehenditur repugnare totaliter doctrinæ S. Caroli in ipsis instructionibus primis, quas suscepit interpretandas.

316. De patribus familias qui sæpissime dies festos violarunt, violari per famulos & ancillas fecerunt, dicit, *si se emendare promittant nec horum admoniti unquam à confessario fuerint, poterit eos absolvere.*

317. Eos qui in venereis aspectibus & conversatione periculosa cum feminis tactibus impudicis perdurarunt absolvi permittit, *si nuntium eis remittere polliceantur, nisi datam antea de dimissione, fidem violaverint.*

318. Et hos iterum absolvi permittit si commodè occasionem vitare nequeant *modo sint parati suscipere consilia à confessario suggerenda v. g. ne solus cum sola conversetur, orationes augeat, frequenter confiteatur.*

319. Quin imo eos absolvi permittit, qui dicunt sibi videri commercium illius in quo vel cum quo peccaverint se non derelicturos. permittit (inquam) *si velint ea remedia apponere, sine quibus iudicat confessarius eos ad vomitum redituros: non dicit si longo tempore apposuerint.*

320. Igitur totam hac in parte doctrinam Gumhari condemnat S. Carolus pro illa (quam præterdit D. Gummarus) absolutionis dilatione, quam dicit fuisse per duodecim sæcula observatam in Occidente, & adhuc hodie observari in Oriente, citat ut dixi, in *Præfatione Apologetica Morinum*, nullo tomo, nullo ejus expresso libro.

321. Tomus inventus est, tomi liber, & libri capita in tomo de administratione poenitentiae cap. 1. n. 13. docet expressè idem quod Romanus Catechismus: nempe morem absolventis statim a confessione, eo modo quo nunc, esse ab ipsis ecclesia incunabulis.

322. Solum excipit illa crimina, pro quibus imponebatur publica poenitentia: & nihilominus jam à duodecim saeculis in ecclesia orientali receptum fuisse, ut etiam istorum criminum rei statim absolventur; ita docet cap. 14. n. ult. & istum deinceps morem usque ad hunc diem observari, fuse probat ex poenitentialibus Graecorum ad calcem dicti operis.

323. Praeterea dicto lib. 9. cap. 6. & sequentibus usque ad 16. fuse probat implementum poenitentiae non fuisse necessarium pro conversione sufficienti ad absolutionem, etiam in sanis & criminum illorum gravissimorum reis, sed saepe fuisse datam, vel statim à confessione, vel solum parte poenitentiae impleta: ergo & hic Auctor Gummarum impugnat.

PROP: 324. Allegat insuper in praefatione Apologetica
85. Canonem 11. Concilii Toletani 3. idem repetit in Apologia pag. 9. & sequentibus in quo jubetur differri reconciliatio & restitutio in communionem quousque impleta sit satisfactio.

PROP: 325. vult autem quod nomine reconciliatio
86. & restitutionis in communionem intelligatur absolutio sacramentalis in foro interno, de qua disputamus.

PROP: 326. Inde infert in dicta praefatione Apologetica
87. quod si Laicus semel concupisset fornicari, debuisset

per biennium agere poenitentiam, antequam absolueretur.

327. Instantiâ autem factâ hoc modo: *ſ*pendente illo Biennio Laicus denuo semel concupiſſet, & ſpendente jam quadriennio adhuc aliud occultum aequale, & ſic quolibet biennio ſemel peccatum ejuſmodi commiſiſſet, quandonam tandem Eximius vel diſcipuli ejus talem abſolvent? Reſponderunt per Racematoreſ ſuum (qui ut litteræ Lovaniennes iſtius temporis ferunt, erat Joſephus Naveus in novo Gymnaſio Ludimagiſter) *vin ſcire quan-* PROP.
donam talis ab antiquis fuiſſet abſolutus ut leviffime 88:
dicam in extremo vitæ tempore. hebdom. 1. pag. 8.

328. Sed quàm debile ſit iſtud ex Concilio Toletano argumentum fuſè oſtendit Raymakers: ex multis accipe pauca: reconciliatio illa & reſtitutio in communionem poterat fieri à Diacono Concilium Eleberitanum can. 32. Cyprianus epiſt. 13. eratque abſolutio à quadam excommunicatioſis ſpecie, & publicæ poenitentiaſ legibus, teſte Baronio ad annum Chriſti. 56. Pamelio in notis ad dictam epiſtolam, Mendosa ad dictum Canonem 32.

329. Quomodo ergo infert Gummarus, Typographus Gandenſis, ac cæteri, fuiſſe dilatam abſolutionem in foro interno (de quo agimus) etiam pro occultis peccatis? præſertim cum conſtet in canone illo agi de ſolemni poenitentia? ſubſequitur enim immediatè, *quod vir tondetur, mulier habitum mutet*, ſed hoc ſubtrahit D. Gummarus.

At vide Lector quouſque ſe præcipitarunt, & quid ad argumenta relata ſupra n. 213. & ſequent. reſponderint.

330. *Qui*

PROP: 330. *Qui Canonem IN COENA Soteri pontifici ad-*
 89 *scribit, non nisi imperitos, à Canonum compilatoribus*
deceptos ad stipulantes habet.

PROP: 331. *Theodulphi Aurelianensis capitulum non est*
 90: *ex antiquorum pontificum decretis relatum, nec ex-*
cerptum.

PROP: 332. *Silverii pontificis decretum non potest produ-*
 91: *ci, nisi ex quodam Canonum collectore, cujus com-*
pilatores plurimis circa tempora & authores scatent hal-
lucinationibus hæc Racemator heb. 3. pag. 25.

333. *Sed contra decretum illud Soteris ex-*
pressè refertur in officio ecclesiastico, & ferè
verbotenus ad diem 23. Aprilis. Historiarum vero
in eo insertarum quanta debeat omnibus catho-
licis esse autoritas, quanto examine sint dil-
cussæ, docent bullæ dicto officio præfixæ.

334. *Theodulphi Capitulum esse ex Silverii*
pontificis decreto excerptum, clarè patet, quia
iisdem penè verbis constat, & qui Silverii de-
cretum adscribit imperito Canonum collectori,
imperitum collectorem facit sanctum Carolum
qui illud tamquam Silverii, & ferè verbo-
tus citat Concilio 4. parte 3. & iterum in Appendice
quam in fine vitæ fecit post collectos canones,
& juxta ordinem Decalogi digestos.

335. *Restat unum quod omittere nequeo,*
concernens interpretationem primarum instru-
ctionum S. Caroli; verba ejus sunt: Consultum
est differre absolutionem donec evidens appareat emen-
datio in iis, qui tametsi dicant ac polliceantur quod se
eximent peccato, tamen confessario probabilem me-
tum faciunt ne contrarium contingat.

PROP: 336. *Metus illius probabilis causam sufficientem*
 92: *causat.*

tem censent adversarii, quoties peccator, etiam unius peccati tantum reus, non probavit per multa opera poenitentialia longo tempore exercita, se esse conversum.

337. Longè aliter S. Carolus, qui metum illum colligit ex penitus extrinsecis, his nempe, si cum toto anno in peccatis haerint, confessionem differant contra ejus mandata ad ultimos Quadragesima dies: si multis annis in peccatis perseveraverint, nulla adhibita opera in emendationem vita, si occasiones vitare non proponant: si cum proposuerint & promiserint, fidem in confessione datam de illis dimittendis frugerint, praesertim saepius, si concubinam non dimittunt, si contractus contra ejus consilia initos non resciderint, si Episcopali monitorio super rebus deperditis non paruerint.

338. Tradunt Jurisperiti hoc axioma quod ubi legislator regulam suam coacervatione multorum exemplorum explicat, regula illa intra istorum & similium limites contineatur & modificetur. Hoc illi attendant, antequam interpretandarum legum usurpent officium.

339. Sed magis stupenda est interpretatio vel potius corruptio textus S. Bernardi: docet ille in Epist. 8. ad Brunonem subitanam promotionem Pauli è persecutore ecclesiae ad Apostolatam esse potius miraculum quam exemplum, Arnaldus parte 2. cap. 12. eum secutus, Gummarus in meth. pag. 80. & 149. & in apologia pag. 101. in fine, Pater Gabrielis pag. 133. aliique inducunt Bernardum, PROB
93 tamquam si doceret omnes illas conversiones Prodigii, Publicani, Davidis, Latronis, caeterorumque ex Scripturis ante relatorum, item illo-

illorum, de quibus in actis Apostolorum, *miracula non exempla*. Et quod in singulari dixit Bernardus *est miraculum*, sic vertit Arnaldus *ces exemples ne sont pas tant des exemples, que des miracles*.

340. Inauditum quod, quæ in parabolis dicuntur, non dicantur per modum exempli: & patres omnes, qui super citatis Scripturæ locis scripserunt, ista in exemplum Divinæ bonitatis erga similes peccatores adferunt.

341. Parisi farina est interpretatio verborum Christi dicentis Petro, ut *dimitteret non usque septies sed usque septuagesies septies* Matt. 18. hunc locum ad remissionem peccatorum quibus Deus offenditur, pertinere docent Hieronymus in *expositione Ps. 119*. Augustinus *sermone 15. de verbis Domini*. libro 2. *de consensu Evangelistarum* cap. 4. lib. 1. *contra adversarios legis* cap. 17. lib. 2. *operis imperfecti* cap. 212. *Catechismus Romanus dicto cap. 5.*

PROP: 94. *inexplicatione Symboli*. Modo post Marcum Antonium dicto cap. 33. docent adversarii textum illum ad ejusmodi remissionem & poenitentiae sacramentum non pertinere. Antonius *le felon* in sua *conversione peccatoris prope finem*: imo datam interpretationem appellavit Doctor Vincent *ineptam*.

342. Methodum ut vidimus supra canonizavit Doctor Van Vianen in dicta thesi 13. Januarii 1676. defendente Naveo supra citato, & tota thesi, quam longum esset describere, est in ejus patrocinium.

343. Ipsum etiam Rituale d'Alet, Arnaldi *liber de frequenti communione*, & *Catechismus Hesselii* juventuti proponuntur in *Stromatibus* cl-

ritualibus hisce verbis : prima obligatio Sacerdotum, ut ^{PROP.} sint docti, deinde in expressione librorum quos ^{95.} legere debeant sic dicitur : *solida & sana doctrina Catechismi Hesselii & excellentissimus liber de la frequente Communion latinè, gallicè, pro ecclesiasticis praesertim gallicè le Rituel d' Alet & hoc adhuc hodie, post dicti Ritualis, jam à tot annis condemnationem.*

344. Catechismum Hesselii in pluribus corrigendum censuit sacra Hispaniarum inquisitio in *Indice Expurgatorio littera 1. classe secunda, & signanter ea in parte, qua scribit adversus imagines.*

345. Hanc expurgationem dum adversarii vel ignorant, vel rejiciunt, & mordicus Hesselio adhaerent, fortasse illustrissimo Archiepiscopo viro optimo, instillarunt istam Hesselii doctrinam : atque inde tot turbæ in materia Supplicationum, de quibus tamen Colonienſe Concilium anni 1549. jussu Caroli quinti à præcipuis Theologis & ministris examinatum, placetatum Bruxellis eodem anno, quarto nonas Junii, & sub pœnis gravis indignationis observari jussum, ita habet sub titulo Censuræ & Decreta cap. 22.

346. *Ecclesia de thesauro Corporis Christi exultans, circumfert longis processionibus extra Sacras Aedes Hostiam illam salutarem, videlicet simul representans itineris Christi historiam, qui dum quæreret salutem nostram, in medio populi versatus est & universam Iudæam circum ambulavit, docens, & agrotos sanans, Discipulis comitantibus, quamobrem & Sanctorum reliquias, & imagines eorum, qui vestigia ejus secuti sunt, simul circumferimus, significantes illos nunc cum ipso*
L *regnare*

*regnare & triumphare in Caelis. Quae memoria de
piis esse jucunda & lata.*

347. Denique plura tradidit S. Carolus, qui
nec ipsi adversarii observant, v. g. *de moribus
Clericorum, vestitu, mensa, suppellectile, compositione
externa & habitu eorum, qui accedunt ad confessionem,
de perscribendis Quadragesima hebdomadis, quibus hujus
vel illius plateae homines confiteantur, de cibis quadra-
gesimalibus, de censibus hypothecatis super fundo, capite
fructus annui minores sunt ipso Canone, aliaque nu-
numera. Optandum, ut ipsimet ab illorum ob-
servatione reformationem inchoarent. Capite
enim Iesus facere & docere, hoc est ut Patres explere
cant, prius facere, quam docere.*

Sat pro hac vice. Si de totidem & pluribus
aliis in sola materia Sacramenti Pœnitentiae
Gymnasium Sanctissimæ Trinitatis, & adver-
sarii quicumque desiderent informari ulterius
Aulam, Episcopos, Senatores, Pastores, Judi-
ces, Concionatores, Advocatos, Juris & Theo-
logiæ studiosos; offero promptissimam operam
& quidem intrâ dies paucos.

F I N I S.

Errores qui ob absentiam Authoris irrepserunt
sic corrige.

Pag. 7 lin. 29 istius sententiæ lege istius sententiæ
patroni p. 12 l. 25 *permissis* lege *pramissis* p. 15 l. 10
publicamus lege Publicanus. p. 19 l. 31 *pendant*
plusieurs lege *pendant plusieurs siecles.* p. 23 l. 20
mutulas lege mutilas p. 24 l. 2 *consequenter* lege
consequantur p. 25 l. 32 *cui* lege *cuiquam* p. 27 l. 28
Sacrilegis lege *Sacrilegus* p. 29 l. 11 *potuerunt* lege
poterunt eadem p. l. ult. *quam* lege *qui.* p. 31 l. penult.
facient lege *faciant.* p. 41 l. 19 *nos* lege *non.* p. 45
l. 27 *provocare* lege *provocari* p. 46 l. 16 *anno* lege
animo eadem p. l. 21 *accersant* lege *accenseant.* p.
47 l. penult. *dicient* lege *dicitur* p. 53 l. 10 *quidquid*
lege quisquis p. 55 l. 11 *eadem* lege *eandem* p. 58
l. 27. 16 *est* lege *is est.* p. 64 l. 3 *jamque* lege *tamque*
p. 68 l. 4 *ostii* lege *Estii* p. 69 l. 28 *ulterius* *attigit*
lege ulterius non attigit p. 70 l. 7 *curæ* *part. lege*
curæ *past.* p. 71 l. 11 *obsequiorum* lege *obloquiorum.*



E III
206


E III
201







Th
2399



E III

206